DISSERTATIO
DE
PRÆCEDENTIA REGUM,

In Qua

RATIONES, & ARGUMENTA

Potentiorum Europæi Orbis

MONARCHARUM,

Qui Jus Antecedendi sibi vendicant, exactè collecta sunt, nec minus fideliter exhibita

Industria D. JACOBI HOWELL Authoris *Numerosi*, & exquisitissimi.

Ex *Anglicano* Sermone in Latinum versa labore *B. Harrisii* L. P.

Huic adjungitur alius ejusdem Authoris

TRACTATUS De LEGATIS.

Latinè redditus à D. *J. HARMARO*, Nuper L. Gr. P. P. *Oxonii*.

LONDINI,

Prostant apud *Sam. Thomson* ad Caput Episcopi in Cœmeterio Paulino; & apud *Sam. Speed* ad insigne Iridis juxta portam Templi Interioris, 1664.

REgale & Nobilissimum Hoc Opus mira cum Eruditione, maxima Industria, nec minori Acumine a D. Jacobo Howell contextum, summa cum voluptate, nec non scientiæ Incremento perlegimus; Et Attestamur, nullum Opus quodcunq; Illud sit conducere magis posse ad asserendum Honorem, prærogativas, & Jura serenissimi Mag. Britanniæ Regis in ordine ad præcedentiam in dicto Opere gnaviter eventilatam; Ideoque dignissimum censemus ut in exteras linguas traducatur. Insuper, non voluimus, nedum potuimus non adjudicare, Insignissimum Authòrem de suo Principe, de sua Patria, de suis Conterraneis; Imo de Universa Republica Litteraria optime meruisse.

Henricus Comes Dorciniæ vulgò Dorchester.
R. Comes Durotrigensis, seu de Dorset.
Johannes Comes Clarensis seu de Clare.
Arthurus Comes Monæ, vulgò Anglesey.
Henricus Episcopus Cicestriæ.
Gulielmus Mericke Dr. L. & Judex Curiæ Prærogat.

Προεδρία Βασιλική - 12-38

DISSERTATIO
DE
PRÆCEDENTIA REGUM,

In Qua

RATIONES, & ARGUMENTA

Potentiorum Europæi Orbis

MONARCHARUM,

Qui Jus Antecedendi sibi vendicant, exactè collecta sunt, nec minus fideliter exhibita

Industriâ D. JACOBI HOWELL Authoris *Numerosi*, & exquisitissimi.

Ex *Anglicanò* Sermone in Latinum versa labore *B. Harrisii* L. P.


Huic adjungitur alius ejusdem Authoris

TRACTATUS De LEGATIS.

Latinè redditus à D. *J. HARMARO*, Nuper L. Gr. P. P. *Oxonii*.

LONDINI,
Prostant apud *Sam. Thomson* ad Caput Episcopi in Cœmeterio Paulino; & apud *Sam. Speed* ad insigne Iridis juxta portam Templi Interioris, 1664.


MVNIFICENTIA REGIA 1715
GEORGIVS D.G. MAG. BR. FR. ET HIB. REX F.D.
J. Pine
Sculp



Reverendissimo Domino,

GILBERTO

Divinâ Providentiâ

Archiepiscopo CANTUARIENSI, Totius Angliæ Primati, & Metropolitano.



SUmmâ, qua par est, observantiâ, Eminentissime Antistes, Elaborata hæc *Versio*, in lingua *Catholica* exarata, Patrocinio Tuo subjicitur: In spe positus Dignitatem Operis Audaciam Dedicantis compensaturam.

Pro virili enixus sum mentem, & medullam Authoris in omnibus enucleare, & fideliter exhibere, sed in confesso est quod *Sublimitas* Illius styli (præter Idiomata sermonis) non potuit attingi.

Si fortasse quæstio oriatur, qui fit, ut Augustum Illud Volumen Anglicè primò contextum, & in Folio excusum, in tam an-

gustum corpus digeri potuerit, In promptu est responsio, quod in Illo Volumine nonnulla occurrunt quæ Regioni *Angliæ*, Regnisque Illi famulantibus, & *Incolis* peculiaria sunt, eorumque scitu perquam necessaria, sed *Exteros* (ad quorum ultilitatem Hæc Traductio præcipuè collimat) parùm spectantia, Quæ heic consultò coarctantur; Atque hoc factum est non sine venia ab Inclyto Authore petita.

Pater Luminum personam Tuam ad Ecclesiæ, ad Principis, & Patriæ incolumitatem diutissimè sospitet,

3° *Nonas Julii*, 1664.

Eminentissimæ Tuæ

Reverentiæ

Humillimus &

devotissimus servus,

B. HARRISIUS.



AUGUSTISSIMO MONARCHÆ

CAROLO II°

BRITANNIARUM

Regi, &c.

NOn pauci ſunt, potentiſſime Rex, qui de præeminentiis, & Antiquitate; de potentia, & Amplitudine Aliorum Regum in ordine ad præcedentiam fusè ſcripſerunt; ſed dum Reges ſuos *extollere nituntur, derogare videntur à cæteris; præterea, dum Rationes, & Argumenta accumulant ad confirmandum quod*

aſſerunt; Tali ſermonis exceſſu intumeſcere ſolent, ut nonnullæ earum dici poſſint eſſe Rodomontades *potius quam* Rationes.

Verum nemo huc uſque provinciam hanc ſuſcepit de induſtria *pro* Britanniarum *Rege. Itaque operæprecium duxi, ut, inter alia, ſubjectum ſit ſequentis operis, In quo conatus ſum, ut* Anglia, *cum Regnis ei ancillantibus melius innoteſcat Reliquo Orbi, & ut luculentis, nervoſiſque Argumentis conſtet Magnæ* Btitanniæ *Monarcham ſi forſan non voluerit* Anteire, *ſaltem non debere* poſtponi *Regi alii cuicunque.*

Jam verò quum Thema ſit

tam

tam ſublimis materiæ, & præcipuè dependeat ab antiquis Annalibus, conſultis patrum, & placitis Juriſprudentium, Quos maximè hac in re conſului, ſingularis cura, nec minor cautio habita eſt, ut Citationes cujuſcunq; generis illæ ſint, quæ in hoc Opere occurrunt, fideliter, & exactè depromerentur, eæq; ex probis, et probatiſſimis ſcriptoribus.

Porro, Author præſentis Operis (abſit Verbo Arrogantia) autumavit ſe non eſſe prorſus Imparem Huic negotio; Ideo quod palatia et Baſilicas maximorum Europæi Orbis principum perluſtraverit; Quia tres annos Regia

Com-

Commissione munitus egit in Aulâ Hispanica; *Quia Orator extitit Legationis extraordinariæ ad serenissimum Regem* Daniæ, *aliosque Germaniæ Principes; Et sæpe Regiam* Gallicam, *pluresq; Italiæ status interviserit.*


Faxit Deus, ut puriores Cœli Influentiæ defluant in Regium vestrum Caput Novo hoc Anno nunc introeunte secundum debita, & diuturna vota

Majestatis Serenissimæ Vestræ

Calendis Jan. 1664.

Obsequentissimi subditi, & servi

J A. Howell



AD LECTOREM.

MAteria, ex qua Receus hoc Historicum Opus conflatur, dici possit esse Tota ex *Auro Coronali*, Ideo quòd *Subjectum* ejus *Reges* sint; Unde notatu non indignum est, *Historiam* Heroinam esse tantæ *Eminentiæ*, ut frequenter habeat vel Ipsos *Reges* sibi *Subjectos*.

Non ignari sumus, quàm tremendum sit, & periculosæ plenum opus aleæ de Regibus agere; Idem est ac si quis incedere tentaret in fastigio alti cujusdam Ædificii, aut si *funambulare* conaretur; quo fit, quod si Vestigia sua cautissimè non dirigat, habeatque Corpus in æquilibrio positum, necessum est ut præceps in exitium ruat; Præsertim in negotio tantæ sublimitatis quanta est præcedentia Regum; Nam com-

compertum eſt quod Illi qui de hoc nimis confidenter, & categoricè tractarunt, majorem *offenſam* quam *ſatisfactionem* dederunt; Neque enim reverà, ulla unquam potuit dari definitiva reſolutio hujus controverſiæ in qua omnes acquiſcerent, ſed quacunque nova occaſione oblata, Principes quos talis Deciſio ſpectabat aut denuò objecerunt, aut contra proteſtati ſunt.

Quapropter Præſens Author tanta modeſtia agit, ut non auſus ſit poſitivè, aut magiſteriali quodam modo ut ita dicam Rem determinare, agnoſcens cum poeta, quòd

——Tantas componere lites
Non opis eſt noſtræ——

Ideoque liberum ſagaci Lectori arbitrium reſervatur ſententiam ſuam ferendi ſecundum momenta, & meritum Rationum quas unuſquiſque Rex exhibet, quæ heic non minori fide quàm ſolertia indiſcriminatim colliguntur: Eæque Galliæ & Hiſpaniæ exactè depromuntur ex ſuis propriis Authoribus, abſque omiſſione ullius argumenti cui aliquid ponderis inerat; Jam verò conſtat inter Hiſtoricos, quòd competitiones pro ſuperioritate, & Antecedentia

cedentia inter Principes, magno fuerunt Christianæ Reipublicæ detrimento, Et nnonulli observant tam diversas in Ecclesia *Dignitates* Illas multiplicâsse. Concertatio inter Urbem *Romam* & *Constantinopolin* (scilicet inter sanctum *Petrum*, & sanctum *Andream*) infelix causa fuit defectionis, & totalis separationis Ecclesiæ *Græcæ* à *Latina*; Fervida disputatio quæ contigit pro prioritate inter Imperatorem *Fredericum*, & *Adrianum* quartum pontificem Romanum, tanta incendia, tantas strages, & tam diuturnos tumultus per Universum Orbem Christianum concitabat; Numerosum Illud, & Magnum Concilium Oecumenicum quod *Lugduni* indictum fuit habendum, spectabatque tantùm Incolumitatem totius Europæ, & promotionem belli in Terra sancta, dissolutum fuit ob controversias quæ ortæ sunt pro prioritate Sessionis; Quantas turbas excitavit Disputatio inter *Cardinales*, & *Patriarchas*, quamvis Cardinales tandem primas obtinuerunt! Nam vocantur principes Universalis Ecclesiæ, & tanta est Illis prærogativa, ut sistentes Judicio convinci nequeant citra 72 testes (Cardinales Episcopos intelligo)

Una viginti quatuor causarum (& primaria fuit) quibus *Angli* amiserunt *Franciam*,

tiam, Infelix contentio erat quæ contigit inter Ducem *Bedfordiæ*, & *Burgundiæ* in Sto. *Audomaro* pro præcedentia. Tractatus pacis inter *Elizabetham* Reginam Angliæ, & *Philippum* secundum Hispaniæ, post funestum, & diuturum bellum tam mari quàm terra, ruptus fuit *Boloniæ* in Gallia, ob controversias quæ ortæ sunt inter Legatos utriusque Regni pro præcedentia, vel potius ob pervicaciam Oratorum Hispaniæ, qui aliud argumentum non habebant ullius momenti, nisi quia Illorum Rex grandior factus fuisset novarum Regionum accessione; sed Jurisconsulti affirmant quod supervenientia, & accessoria Dominia, cum cumulo titulorum parùm valent inter Reges quamdiu remanserint in *eodem Dignitatis gradu*; Neq; potuerunt refellere argumenta Anglorum, quorm unum erat testimonium *Volaterrani* (recepti Authoris) qui planè asserit Papam *Julium* adjudicasse prærogativam Antecedentiæ *Henrico* septimo Anglorum Regi, ante *Ferdinandum* Regem Hispaniæ, sicut luculentiùs constabit in sequenti Dissertatione.

Jam verò plurima mediorum genera excogitata fuerunt de tempore in tempus, quando res postulabat à politicis intercessoribus ad componendas has lites, interdum

dilato-

dilatoriis modis, nonnunquam alternativa prioritate; ſed hoc fuit cum hac clauſula, *Jure partium ſemper reſervato*; ſicuti in celebri Illa concertatione inter Comites *Warvicenſem*, & *Buckingamium* in Anglia, concluſum fuit, quòd tertio quoq; anno alternatim præcederent; ſimilis Altercatio oriebatur inter *Urſinos* & *Colonnas* duo antiquiſſima ſtemmata quæ jam *Romæ* superſunt; ſed determinatum fuit utriuſq; conſenſu, quod *Senior* eorum ſemper præcederet, quo fit quòd *Junior* nunquam adire ſoleat ſacellum Papæ ubi hæ duæ Familiæ ſeſſionem habent proximam Legatis Regum; Controverſia inter *Scherenſem*, & *Wolſeggianam* in Germania dirempta fuit hac conditione, quòd unus portaret pomum Aureum Imperii *introeundo*, & Alter *exeundo*.

Inter Artifices, Juriſperiti affirmant, unumquemque debere anteferri ſecundum valorem materiæ in qua operantur; Præterea, quando publicum aliquod Diploma promulgatur, Illud regnum præponitur in cujus favorem conceditur Diploma. Ita *Scotia* nonnumquam antecedit *Angliam*, &c. Notandum eſt Jus & modum præcedentiæ differre ſecundum genium, ſeu conſuetudinem gentis; Ut mos eſt *Turcarum*,

ruum, quod ſiniſtra manus honorabilior reputetur tam ſedendo quàm incedendo quâm dextera; Et ratio eſt, quia Ille qui ad ſiniſtrum latus incedit, alterius enſem arripere poſſit ad libitum.

Inter *Hiſpanos* pediſſequi, aſſeclæ, & ſervi antecedere ſolent, & Dominus ſubſequi: Ac in quibuſdam caſibus idem obſervatur in *Gallia*, quod ſervus antecedat Herum, ſecundum tritum Adagium

En pont, en Planche, en Riviere
Valet devant, Maitre derriere.

In ponte, in Tabula, & in vado,
Servus ante, Dominus retrò.

Quod ad Legatos ſpectat, non niſi unicus modus eſt eos componendi, qui ſi obſervetur nunquàm dabitur occaſio contendendi, ſcilicet, ut fiant *Paralleli*, quo intelligitur, ut nunquam conveniant in uno loco publico, Nam Mathematicus nos docet, *Quod Paralleli etiamſi ducantur in infinitum nunquàm concurrent*; Quòd, ſi Legati nunquam concurrant, nunquam Colluctaturi ſunt pro præcedentia.

Juriſtæ,



Juristæ, Antiquarii, & Historiographi

Tam Latini

Quam Angli, Britanni, Italiani, Galli, & Hispani,

Quos consuluimus in edendo hoc Opus.

Goldastus
Cassanæus
Besolaus
Valdesius
Vasquez
Volaterranus
Bodinus
Boterus
Albericus Gentilis
Lansius
Caranato
Corsetus
Borrello
Boccolini
Sleidanus
Dr. Bragaccia
Paschalius
de Zunniga
Mariana
Fred. de Marselaer
De Grassaliis
Du Haillan
Comines
Episcopus de Rhodes
Du Serres
Verstegan
Il Conte Losco
Baro Coke
Ja. Usherius
Tho. Morus
Rawleius
Rob. Cottonus

a *Hen.*

Hen. Spelman
Bakerus
Finetus
Prisius
Dodderidge
Humfredus Lloyd
David Jenkins
Cambdenus
Seldenus
Fab. Phillipps
Barclaius
Matth. Paris
Polydorus Virgilius
Hen. Wotton
Isaacus Wake
Minsheus.

Præter Hos Authores, plurima antiqua Registra, & Manuscripta consulta fuerunt, & inspectio veterum Registrorum jam tum semesorum & corrosorum ardua res est; eadem est ac decorticatio Juglandium in fine Decembris.

AN-



ANALYSIS

Totius Operis.

Quantum ad Materiam, & Methodum in compositione hujus Operis attinet, dividitur in quatuor Sectiones, quarum tres primæ de præcedentia Regum tractant, quarta de Legatis agit; Quælibet Sectio subdividitur in decem capitula, seu Paragraphos, quorum singula novam semper materiam subministrant.

Prima Sectio consistit Rationibus & Argumentis Britanniarum Regis, *&c.* in ordine ad præcedentiam.

Primò, quia sui prædecessores erant Antiquissimi Reges; Nam Carolus *secundus nunc Rerum potitus est centesimus, & tricesimus & nonus Rex* Britanniæ, *nec non centesimus & nonus Rex* Scotiæ, *ni fallor, sed Catalo-*

gus Regum Galliæ, *&* Hispaniæ *vix hujus numeri dimidium sigillatim explere possit.*

2. Lucius *Rex Britanniæ erat primus omnium Regum* Christianorum *qui unquam in Terris extiterunt, ex unanima Antiquariorum sententia : atque hoc fuit quasi trecentis annis antequam Reges Galliæ aut Hispaniæ facti fuerint Christiani ; Ideoque Britannia vocata semper fuit* primogenita Ecclesiæ ; *Jam vero Canon est inter Juristas ,* quod summa Ratio est quæ ducitur à Religione ; Grotius *etiam asserit, quod ,* Qui primò Christianismum professi sunt, præcedant.

3. *Rex Britanniarum habet merum & Immistum Imperium tam spirituale quàm Temporale, quod de Regibus* Hispaniæ *&* Galliæ *dici non potest.*

4. *Rex Magnæ Britanniæ, si respiciamus eminentiam Regiæ dignitatis, titulosque & prærogativas , habet suum Diadema tam nitidis floribus, gemmisque variegatum quàm alius quicunque ; Nobilissima etiam habet Insignia ; nam* Crucem *gerit quæ est symbolorum optimum ; Et* Leonem *Regem Quadrupedum.*

5. *Magnæ*

5. *Magnæ Britanniæ Rex habuit pro suo Prædecessore & conterraneo primum* Christianum *Imperatorem, sc.* Constantinum Magnum,*&* Arthurum *primum inter novem Heroes, Primumque Militaris Ordinis Fundatorem.*

6. *Prædecessores Regis Britanniarum primi excusserunt* Romanum *Jugum, Idque ducentis annis ante quàm* Hispania *aut* Gallia *evaserunt liberæ ; Et istud Argumentum validè urgetur ab Illis Regibus in ordine ad præcecedentiam.*

7. *Reges Angliæ habuerunt præcedentiam sibi adjudicatam in* Conciliis *Universalibus, & decretis etiam Pontificum, sicut constabit in sequenti Discursu.*

8. *Rex Britanniarum* supremus *est nobilissimi Ordinis equestris qui unquam institutus fuit, sc Sancti* Georgii *seu* Periscelidis, *Quo Ordine octo* Imperatores, *& Octies totidem Reges fuerunt decorati, præter multitudinem exterorum principum.*

9. *Rex Britanniarum Magnanimis, & Bellicosissimis progenitoribus oriundus est qui Rebus*

bus Terra Marique gestis celebratissimi sunt.

10. *Rex Magnæ Britanniæ tam liberos, robustos, & animosos subditos habet quam alius quisquam, eosque ex quatuor diversis Nationibus*; Nautas, *& Navigatores peritissimos*; Navigia *omnis generis fortissima*; Portum *habet omnium capacissimum, & nobilissimum, Nam* Millefordia *talem esse agnoscitur ab omnibus Geographis*; *Habet etiam Oras, & littora* Inaccessibilia, *cum majori dominio tam offensivo quàm Defensivo in Mari quàm alius quicunque Rex*,&c.

Secunda Sectio.

Continet Rationes quibus Rex Galliarum vendicat præcedentiæ dignitatem, & Sessionem Imperatori proximam; Quæ Rationes digerunrur etiam in decem Capitula, quarum prima deducitur

1. A *Nobilitate Regni.*
2. *A Nobilitate Regiminis.*
3. *A Nobilitate Regionis.*

4. *A Religione, & Nobilitate Eccleſiæ.*
5. *A Nobilitate, & multitudine Gentis.*
6. *A plenitudine poteſtatis Regiæ.*
7. *A potentia Ipſius Regni.*
9. *A fortitudine, & Rebus in bello geſtis.*
10. *Ab exemplis, & Antiquitate*, &c.

Tertia Sectio

Proponit Rationes, quibus Rex Hiſpaniarum prætendit, vendicatque prioritatem Seſſionis in omnibus Congreſſibus publicis, & Tranſactionibus Status, *&c.*

Quæ Rationes digeruntur etiam in decem Capita, ſeu Argumenta; Quorum

P*Rimum probat quod Rex Catholicus antecedere debeat, eò quod Hiſpania ſit nobiliſſimum totius Europæ Regnum*, *quia* caput *ejus ſemper æſtimata fuit.*

Secundum, *Quod Rex Hiſpaniæ præcedere debeat ab Authoritate Conciliorum Univerſalium, & Eccleſiæ Doctorum.*

Tertium, *Quod Rex Hiſpaniarum antece-*

dere debeat, quoniam Hiſpania *prima recepit, & profeſſa eſt Fidem* Catholicam,*&c.*

Quartum, Probat quod Rex Hiſpaniarum vendicare poſſit dignitatem præcedentiæ quia eſt Rex Catholicus, *qui Titulus Antiquior eſt quam* Chriſtianiſſimus.

Quintum, Quod Rex Hiſpaniarum Antecedere debeat eo quod multitudine Regnorum, potentiâ, & divitiis antecellat reliquos omnes Reges.

Sextum, Probat quod Rex Hiſpaniæ meretur præcedentiæ dignitatem ob nobilitatem proſapiæ, &c.

Septimum, Quod Rex Hiſpaniæ de Jure dignitatem præcedentiæ ſibi poſſit vendicare eò quod ſit Rex Hieroſolymæ,*&c.*

Octavum; Quod Rex Hiſpaniæ poſſit vendicare dignitatem præcedentiæ ratione liberi & abſoluti Dominii, & quod Imperia *habeat ſibi ſubjecta.*

Nonus, Quod Rex Hiſpaniæ præcedere debeat eò quod tam Magnis, & immenſis affecerit beneſiciis Chriſtianam Eccleſiam.

De-

Decimus, Probat quod Rex Hispaniarum de jure debeat antecedere, eò quod Catholica Ecclesia majorem recipiat protectionem, & emolumenta *ab eo quàm ab ullo Alio quocunque principe Christiano.*

Quarta & ultima Sectio.

Siquidem Hæc etiam Decem Paragraphis (sive Capitibus) absolvitur.

H*Orum* primus *agit de Etymo hujusce vocis* (Ambasciator) *& definitionem etiam* Legati *exhibebit.*

Secundus, *absolutam Legatorum necessitatem tradit; Et probabit insuper Humanum Genus iis carere non posse.*

Tertius, *Primordium sive Illorum Originem altiùs arcessit, Illorumque dignitatem, & præcellentiam ostendit.*

Quartus, *Singularia quædam privilegia, Honorificam Receptionem, & immunitatem ab Injuriis illis asseret, & confirmabit etiam eorum personas sacras esse habendas*, &c.

Quin-

Quintus, *docet qualiter Legati inſtituendi ſint; Doteſque & facultates eorum memorabit*, &c.

Sextus, *loquitur de delectu Legati, nempe, ut ſit par negotio, & muneri quod ſuſcepit accommodus.*

Septimus, *declarabit quanta fidelitate, & circumſpectione Legatus partes ſuas exequi debeat, & quanta in hunc finem Fiducia in Illo reponatur.*

Octavus, *Leges Angliæ recenſet quæ ad* Legatos *ſpectant, & quibus in Aula Regis Magnæ Britanniæ excipiantur modis, quibuſque præmiis ibidem afficiantur.*

Nonus *in memoriam redigit quàm ſagaciter nonnulli* Legati *ſe geſſerint, quaſque argutas ſententias & apophthegmata in Colloquiis, & aliàs prodiderint.*

Decimus, *enarrat quanta cum ſolertia & Fide, magnanimitate, & munificentia* Anglorum *compluſculi Oratores Legationes ſuas obierint.*

In-



INGENUO, ET GENEROSO LECTORI.

Errata ſeu Σφάλματα *cujuſcunque generis quæ in hac prima Impreſſione volante Calamo, vel ab Incuria præli occurrere poſſunt, Generoſus* Lector *condonet, & inter legendum corrigat, quod Illi non multum negotii faceſſurum ſpero.*

Sed animadvertat Opus Hoc non ad Grammaticaſtros (qui vocularum apicibus & Syllabis hæſitant) ſed ad graviores & Politicos Lectores*, qui momenta* Rerum*, & Materiam perpendunt, directum eſſe.*

Non pauci ſunt qui explodere videntur

dentur P. Bembum quia Ciceronianis vocabulis se astrinxerat, vel potius mancipaverat, ut vix inveniantur hæc vocabula in suis scriptis, sc. Episcopi, Fides, Ecclesia, Baptismus, Papa, Monachæ, Consiliarii Status, &c. *sed Illorum loco*, Flamines, Persuasio, Fanum, Tinctio, summus Pontifex, Vestales, Patres Conscripti, *aliaque hujusmodi nomina affectantur.*

Talis Affectatio heic abest, ubi Res illustrantur modernis vocabulis, & terminis qui inter Politicos, Juristas, & Theologos inveniuntur, hoc volente Usu

Quem penes arbitrium est & Vis, & Norma loquendi.



De Præcedentia PRINCIPUM.

De PAPA.

QUod ad Papam & Imperatorem attinet, nulla lis oritur, aut dubitatio de eorum Præcedentia, & proinde de Illorum Legatis, Delegatis, & Repræsentativis in quibuscunq; Transactionibus, & signaturis; In Conciliis Oecumenicis, aut aliis Congressibus publicis; Quæ præcedentia indulta est *Priori* (ab omnibus qui relatione *Filiationis* Illi devoti sunt) uti reputatur esse Vicarius Generalis Christi, successor Principis Apostolorum, sanctissimus Pater, & summus Pontifex Quem penes est Gladius *Spiritualis* qui profundè penetrat, ideò quod Imperium habeat in *Animam* quæ est longè nobilior pars Humanæ Creaturæ; Quapropter (nonnulli excessu zeli transvecti) prædicant *Eum* antecellere

cellere omnes Principes *Temporales* in eodem gradu quo *Anima* excellit *Corpus*.

Nec tantùm Prioritatem sessionis Illi deferunt, sed, humilibus Ideis, & suavi quadam sanctitatis aurâ afflati, tam Imperatores, quàm Reges maximum existimant honorem ministrare Illi malluviam & linteolum ad lavandas detergendasque manus, imò verò habenas fræni, & pedestellam mulum ascendenti, & super omnia pedes ipsos osculari juxta characterem Poetæ,

Ense potens gemino, cujus vestigia adorat
Cæsar, & Aurato vestiti murice Reges.

Huc accedit quod in solennibus illis Ceremoniis quæ celebrantur in ejus *Consecratione* ministerio Cardinalis-Episopi *Ostiensis*, cùm Papalis Mitra Capiti imponitur, Decanus principalis alta voce eloquitur, *Accipe Tiaram tribus ornatam Coronis, & scias Te esse Patrem Regum*,&c.

Hinc derivatur Præcedentia omnium aliorum *Ecclesiasticorum*, sicut in Creatione Imperatoris tres Ecclesiastici Electores, *viz.* *Archiepiscopus* Moguntinensis, Coloniensis, & Trierensis præcedunt cæteris *laicis* Electoribus; Præterea ex singulari veneratione Ecclesiæ habita, cùm tremendum illud Juramentum legitur, & iis administratur, ut Justi sint, & incorrupti in suis suffragiis, *Archiepiscopi* admovent digitos *Pectori* solùm, cæteri autem Electores tenent *manum* superCodicem sacrosancti *Evangelii* dum negotium transigitur.

His

His addatur quòd *Cardinales*, quia Principes sunt Ecclesiæ Universalis, deducunt talem a summo Pontifice Præeminentiam, quòd Prærogativa sedendi, incedendi & signandi illis permittitur a Legatis omnium Regum qui *Romanæ sedis* Jurisdictionem agnoscunt; prætereà, inter *Pares* Franciæ sex *Ecclesiastici* anteferuntur cæteris *Laicis*; Constitutum est etiam in *Anglia* quòd Episcopi antecedant Barones seculares in Comitiis seu *Parlamento* Nationali; jam demum, ut concludam hunc paragraphum, *Romanus* Pontifex retinet adhunc talem influentiam, & dominium in Imperatorem, quòd non possit appellari *Augustus*, aut recipere Coronam *Auri*, antequàm confirmatus sit a Consistorio Papali.

De Imperatore.

AGgredimur nunc *Imperatorem*, cui hæret adhuc nomen *Cæsaris*, & salutatur etiam semper *Augustus*; Tanta illi sæculis retroactis delata fuit reverentia, ut nonnunquam vocabatur *Numen*, *Divus*, & Diplomata Ejus sancita Divalia; per plurimos successores continuasse legimus Imperium in stemmate *Julii* Cæsaris usq; ad *Domitium* Neronem, deinde nomen Cæsaris datum fuit Hæredi proximo seu Adoptivo Imperii, cujus Titulus antea fuit *Princeps Juventutis*; & cùm Imperium *Occidentale* refloruit in *Carolo Magno*, proximus successor vocatus fuit *Rex Italiæ*, sed nunc creatus est *Rex Romanorum*,

quod institutum sumpsit originem ab Imperatore *Carolo quinto.*

Julius Cæsar primus erat qui evexit *Romam* in unum Imperium, sed carò illi constitit, nam Fundamentum illius agglutinatum fuit suo sanguine, eò quod trucidatus fuerit in Senatu dum ingens illud opus moliebatur: Hinc notatu dignum est quàm extraordinarium quoddam Fati genus Romam concomitatur; Nam ut prima ejus fundamenta *Rhemi sanguine (Romuli* fratre) aspersa fuerunt, dum muri Civitatis primùm erigebantur; Ita Imperium postea fundatum fuit *sanguine Julii Cæsaris*; Præterea, *Spirituale* illud Imperium quod Roma nunc occupat dici possit esse erectum, & purpuratum *sanguine* tantorum *Martyrum*, quorum plus quàm triginta e *primitivis* Romanæ Ecclesiæ Episcopis erant ex numero.

Sed, ut jam se res habent, si Romanum Imperium in statu præsenti compararetur *Veteri*, quando in altissimo culmine potestatis dominabatur, comparatio non teneret majorem proportionem quàm inter *Regaliolum* & *Aquilam*; Nam Romanum Imperium cùm in prima Dominii & Gloriæ altitudine effloruit, dum super septem suos Colles evecta steterat digito quasi cœlum attingens, unde prospiciebat universum orbem, videbatur non habere ullum horizontem, aut terminos dominii; Civitas *Romæ* tunc habebat quinquaginta milliaria in circuitu; quingenti mille Cives (præter plebeculam) computabantur coaluisse intra suos muros secundum celebrem illum censum quem *Vopiscus* memorat; *Aquila* Romana tunc figebat ungues super ripas Fluvii *Euphratis*

versus

versus Orientem solem; super cataractas *Nili* & montes Lunæ versus Meridiem; super ripas Danubii & Rheni versus Septentrionem, & versus Occidentem usque ad Germanum, & Britannicum Maria; census Illius, & Vectigalia annuatim calculabantur plus quam 200000 talenta Auri & stipendia legionarium militum 200 mille: Sed illa altivolans *Aquila* quæ seculis retroactis dicebatur habere *solem* ipsum pro comite, nunc eheu, una tenui alâ, eáque exiliter plumata, inter *Rhenum* ac *Danubium* solummodò volitat; Et nisi aliquæ pennæ Austriacæ illi insertæ essent, tam nuda foret *Aquila* quàm gallus deplumatus.

Attamen, si Imperatori, ut *nunc* se res habent, tota Germania esset integrè subjecta, sicut ille in *Titulo*, & *Sessione* antecedit adhuc omnes Alios, ita in *potentia* & armis æquiparari posset ulli alii cuicunque Monarchæ; Nam *Germania* ceu Regio *Teutonica* Territorium est tam vastæ expansionis, quòd si esset sub ditione, & exactè subdita uni supremo principi, posset legem dare universæ Europæ; sed in statu quo nunc, Cæsar possit dici non esse alius quàm *Titularis* Imperator Germaniæ; nam eorum decem *Circulorum* in quos Illa dividitur, *viz.* *Austria* superior, & inferior, *Franconia*, *Bavaria*, *Saxonia*, *Westphalia*, *Inferior Saxonia Circulus*, *Palatinatus*, & *Burgundia*, Imperator non habet absolutam possessionem ullius quasi circuli præter *Austria* quæ est suum naturale Patrimonium; Gubernatio reliquorum etiamsi *Principaliter* sit in *Cæsare*, tamen *diffusivè* in *Dieta* Imperiali inest, sed *contractim* & actualiter in septem Electoribus, aliisque principibus Imperii

perii qui Jus quoddam Regale sibi assumunt, habendi potestatem vitæ & necis, cudendi & signandi monetam, Milites conscribendi, & stabiliendi quam velint *Religionem, &c.* unde fit ut inter principes Germaniæ pro Regula, & lege habeatur, *Quod quilibet Imperii Status tantum possit in suo Territorio, quantum possit Cæsar in toto Imperio*; Attamen in hoc restringuntur, quòd nullus eorum possit *inire Fœdus* cum alio principe aut statu, nisi cum hac reservatione, quod non sit præjudicio saluti publicæ Imperii.

Jam vero constat inter Chronologos plurimas causas conspirasse ad labefactationem Romani Imperii; prima fuit translatio Curiæ Imperialis a Roma ad *Bizantium* ceu *Constantinopolin*, quæ Aquilam reddidit instar Monstri duorum Capitum, unum prospiciens Orientem solem, alterum Occidentem; nihilominus *Orientalis* Imperator spacio 400 annorum retinuit Titulum *Romani* Imperatoris, gubernando Occidentem exarchis & pro-regibus, quo tempore quædam quasi fatalis Inundatio nationum Septentrionalium irrupit in Ditiones Imperii ut magis appropinquarent *Solem*, præcipuè in *Italiam* ubi firmum stabiliebant dominium usque dum debellati fuerant & expulsi a *Carolo Magno*, qui erat primus qui se nominabat Imperatorem *Occidentis*, pactis cum *Nicephoro Constantinopoli* initis; Quod Imperium *Occidentale* immane vulnus recepit partitione quam *Ludovicus* (vocatus *le Debonnaire*) *Caroli Magni* primogenitus, fecit, ut hæreditaria relinqueret patrimonia tribus suis Filiis, quo factum est ut tandem Imperium Romanum infra Germaniæ

limites

limites circumscriptum fuerit, Et ab eo tempore constat inter Historiographos quod a *Rodolpho* primo usque ad præsentem æram, 200 principes, status, & civitates devolutæ sunt & emancipatæ ab *Imperio*; quædam ansam captantes a necessitate Imperatorum præstando Illis pecunias ad supportanda bella, pro quibus *Nummis* obtinuerunt *Immunitates* quasdam quæ erant æquivalentes absolutæ libertati; præterea, ut *temporalia Papæ* dominia maxima ex parte non alia sunt quàm plumæ ex Aquilæ alis decerptæ; Ita *Innovatio* Religionis a Luthero introducta magno fuit detrimento Imperatori, eo quod nonnulli *status* deficiebant ab eo *Religionis* gratiâ; postremi, qui defecerunt erant *Lituani*, *Helvetii*, & *Genevenses*, quorum *primi* desciscebant a *Carolo quinto*, qui revocans eos ad obedientiam, *aliter armis reducendi essent*, petulanter responderunt, *Quod credebant equum suum defatigare velle antequam confinia Lituaniæ attingere posset : Helvetius* quoque deficiens a *Papa* Obedientiâ *Spirituali*, defecit etiam *Temporali* obedientiâ ab *Imperatore*, & a Citationibus Cameræ *Spirensis*.

Sic percipimus gradus & causas declinationis Monarchiæ *Romanæ* in principio, & postea *Germani* Imperii, quod dici possit, si pristinam respiciamus staturam, contractum esse a *Leonina* pelle in *Cati* cuticulam, Ab ingenti *monte* in *colliculum*, vel a volumine in *folio* ad *decimum sextum*; sed ad dignoscendam veram causam hujus mirandi occasus, oportet Oculos conjicere in altum, & attribuere omnia voluntati, & beneplacito Omnipotentis Cœli & *Terræ Imperatoris qui* pessun-

dat potentes, qui transvolvit regna, diruit Monarchias, & eas in respublicas, & pusillos status ad libitum partitur: Ad quod Philosophus videtur alludere, qui interrogatus quid Jupiter fecerat in Cœlo, respondit *Magnas ollas rumpit, & ex frustis earum parvulas componit.*

Nihilominus, etiamsi in *potentia & Dominiis* Imperator fiat debilior, & quasi denudatus suis Antecessoribus collatus, tamen respectu habito ad *præcedentiam, & dignitatem,* Idem semper remanet, nam reputatur *primus* principum Christiani orbis; & de bono jure cæteri Reges ita eum agnoscere obligantur, quia Illorum Regna non possunt dici alia quàm *Rami* avulsi a magna Arbore *Romana*, qui radices novas sumentes gradatim ceperunt & ipsi se erigere in *Regales* Arbores; Magna *Britannia* sicut Illa erat ultima (ob resistentiam militarem tam perinaciter factam) quæ reducta fuit sub jugo *Romano*: Ita erat prima quæ excutiebat illud Jugum, & Libera evasit, quod non est mediocris honor, & privilegium suo *Regi* in ordine ad *præcedentiam,* ut apparebit in sequenti Discursu.

Neque est *Imperator,* sic æstimatus solùm inter *Christianos* principes, sed *Turca* etiam adhuc recognoscit Illum *Romanum* Imperatorem, & maximum Monarcham præter seipsum, præstans congruentem ejus *Legatis* honorem, concedensq; Illis habere palatia in ipsa *Constantinopoli* eadem ripa qua stat *Seraglium*; præterea concomitantur Curiam *Ottomannam* quocunque se removet; Cathedra datur Illis ante Legatos *Persiæ* & *Tartariæ,* quamvis *Tartarus* declaratus sit Hæres proximus

mus Turcici Imperii deficiente Stemmate *Ottomanno*, se vanaglorians maximum esse Monarchum in orbe terrarum: Ideoq; mos Illi est, quòd post prandium tympanum mandet sonari versus quatuor mundi plagas, ut innotescat omnibus aliis principibus se jam pransisse; Ideòque Illi etiam possunt ire pransum: Et quod ad *Persam* attinet, exemplum Davidis *Ungnadii* sufficiet, qui dum esset Legatus in Curia Turcica pro Imperatore, & admissus habere Audientiam ad Duanam in Seraglio, Legatus Persicus priùs obtinuerat cathedram *Legantinam*, sed *Ungnadius* abiturum se monstrans, magnus *Visier* mandavit *superiorem* Cathedram illi appositam esse; Alio tempore circumcisione *Mahometi* cujus pompa durabat per quadraginta dies, in qua etiamsi legati maximorum orbis Monarcharum intererant, tamen *Ambasciator Rodulphi* Imperatoris habuit prioritatem sedendi & incedendi præ omnibus aliis.

Omnia hæc non sunt nisi collateralia scopo principali Discursus nostri, qui collimat *Reges*; cui jam acceleramus; sed pauca dicenda sunt ut prolegomena de origine *Regiæ* Administrationis.

De Regalitate, vel Regia Gubernatione.

GAlli Dictum habent, *Pape par voix, Empereur par force, Roy par nature,* Papa voce, Imperator Viribus, Rex natura fit, Innuendo *successivos*

cessivos, ceu *Hæreditarios* Reges qui *Electivis* præferendi sunt. Hinc infertur quod *Regia Administratio* possit dici esse Institutio secundum ipsius naturæ regulam, & Philosophi nos admonent quod *Naturam sequi, est Deo obsequi.*

Quod ad characterem seu Titulum *Regis* attinet, magis antiquus est quam titulus *Imperatoris*; Nam Illi qui scrutantur inter Tenebras quæ Dominii species fuerit ante *Diluvium*, mentionem *Regum* faciunt in *Chaldæa* & *Egypto*; *Roma* incepit cum *Regibus*, & dici possit quod populi *protervia* magis quàm Tarquinii *lascivia* eos inde ejecit; postea, nomen *Imperatoris* delatum fuit Illi qui erat Coryphæus, vel præcipuus Dux exercitus, aut prætorianæ cohortis, & militum Legionarium; non erat *Titulus* tantæ sublimitatis, & transcendentiæ ut postea factus est; Inter Authores Græcos nomina *Monarchæ*, *Regis*, & *Imperatoris*, promiscuè sumuntur; sed omnes qui de Rebus Politicis scribunt, agnoscunt *Regiam* Gubernationem aliarum omnium esse antiquissimam, ac affirmari possit eam traxisse originem ab ipso *Adamo*. Et sicut Antiquissima agnoscitur, ita maximam habet conformitatem cum *Cœlesti Dominio*, unde optima exemplaria trahenda sunt ad dirigendas *Humanas* actiones, nec est ulla præsumptio hoc facere; Præterea, *Regalis* potestas est omnium perfectissima; nam ut *Juridici* loquuntur, In Illa est *formalis*, & *completa* gubernandi ratio; His adjiciatur, quod *Regalis* potestas habet faciliores, pauciores, & *certiores* regulas (si ullæ inveniri possint quæ sint *certa*) quia non est alia *doctrina* magis subjecta incertitudini, aut confusioni quam *Hominem*

nem Homini imperare, non potuit adhuc reduci in *ſcientiam* quæ conſiſtit ex certis & apodicticis Demonſtrationibus; Ratio reddi poteſt, quod humanum genus obnoxium ſit tam diverſis arbitriis & humoribus, a varietate climatum, & Cœli circumambientis influxuum procedentibus, atque etiam a mille contingentiis, & caſibus qui humanas actiones concomitantur; Adde etiam quod hæc incertitudo poſſit oriri a differente poſitione Terræ; nam leges illæ, & modus gubernandi qui congruens poſſit eſſe populo *Continentis*, ſeu terræ firmæ, non poteſt quadrare cum *Inſularum* Incolis; nec leges *Maritimi* cum populo *Mediterraneo*; Hinc fit quod *Stagirita*, quamvis invenatur eſſe ſibi conſtans dum præſcribit axiomata & regulas, ad acquirendas alias ſcientias, tamen quando in ſuis Politicis aggreditur humanum Dominium, dum torquet cerebrum nobis præſcribere *certos* canones, reperitur eſſe ſibi vacillans, inſtabilis, & lectores involvendo quibuſdam notionum nebulis.

Nec poſſumus multùm culpare hunc Anteſignanum Philoſophorum, & alios qui tractarunt de hoc themate, quia intra cancellos humani cerebri non poſitum eſt leges condere quæ poſſint eſſe perpetuò idoneæ ad exequendum, vel ad præveniendum quodcunque accidens; Aut quæ poſſint eſſe conſentaneæ indoli omnium nationum; Eò quod quædam tam fervidi oris ſunt, ut neceſſarium ſit eas equitare & regere cum *cannis*, ſed tenue frænum ſufficit aliis: Et obſervatum eſt quod Habitatores ſterilium terrarum faciliùs gubernantur, quàm Illi qui in luxurioſo, & pingui ſolo de-

degunt, qui ſemper abundantiâ ſaturi proterviæ ſubjecti ſunt, & apti ad calcitrandum ac excutiendum ſuos equiſeſſores.

Sunt autem qui arbitrantur, non eſſe niſi unam certiſſimam & Univerſalem Regulam gubernandi quemcunque populum, eumque intra terminos obedientiæ ſemper detinere; Et hæc eſt, quod ſupremus moderator perpetuò habeat viſibilem poteſtatem, & copias militares in promptu tam ad conſervandos bonos, quàm ad caſtigandos malos; Et rationi conſonum eſt quòd populus contribuat ad ſupportandum hanc generalem protectionem ſecundum Dictum non omninò inſanum, *Defende me*, & *diſpende me*; ſed Jam accingemus nos ad *Inſtitutum* principale hujus Operis,

---

De



DE
Præcedentia Regum,
Et Speciatim, De
TRIUMVIRIS;
VEL
De tribus Illis Potentioribus Christiani Orbis Monarchis,
Qui hac Tempestate Dominantur.

DIscutiendo hanc controversiam, conjiciemus oculos primùm versus *Occidentem*; nam celebris occurrit menti Historia, quod cum plurimi competitores erant Regni Persiæ, pactum fuit inter eos quòd crastino die convenirent equitantes in tali spacioso Campo, & Ille qui primus Orientem solem videret, ac cujus equus hinniret, esset Rex; conventi ut erant primo mane, dum cæteri obtuebantur Orientem, *Darius*, unus candidatorum, oculos habebat fixos versus Occidentem, demùm respiciens subitò reflexus radii solaris equus hinniebat, & ita obtinuit regnum *Persarum*; Sic & nos ad inveniendam

endam veritatem quæ heic investigatur, conjiciemus oculos primùm versus Occidentem, videlicet versus *Magnam Britanniam* cujus Rex *præferri meretur* cuicunque alii ob Rationes sequentes, deductas primùm.

1. *Ab Antiquitate prædecessorum, & præcipuè Regum* Christianorum.

2. *Ab independenti, absolutaque potentia tam temporali quàm Spirituali.*

3. *Ab eminentia Regalis status, & Dignitatis.*

4. *A victoriis, & rebus in Bello gestis.*

5. *A Fortitudine, & viribus Audacis, liberæque Gentis.*

6. *A longa serie Regia, & extractione sanguinis.*

7. *Ab Hospitalitate, abundantia, & lautitia Curiæ Regiæ, numeróque Officialium, & magnificentia ministerii.*

8. *A diversitate Nationum Regi Britannico subjectarum.*

9. *A politica Administratione Justitiæ, a puritate currentis monetæ, & salutari modo gubernandi.*

10. *A potentia, & magnitudine virium per mare, & per terram,* &c.

Cum aliis prærogativis, quibus affirmari possit quod Magnæ Britanniæ Rex expectare debeat non solùm æqualitatem, sed præcedentiam a cæteris.

Jam,

Jam, ad probanda prædicta decem argumenta, ea ſigillatim diſcutiemus, dividendo ea in diſtinctos Para grapho, ut ſequitur.

Primus Paragraphus.

De Antiquitate Regum, & præſertim de primævis Magnæ Britanniæ Regibus, qui Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, & ſic ſumimus

——A Jove Principium.

OBſervatum eſt a Geographis qui de Ditionibus, & Nationum diverſitate diſſerunt, quod *Britanni*, qui erant Aborigines, ſeu primævi habitatores hujus Inſulæ, & dici poſſit eſſe Ipſi *connaturales*, erant ſingulari quodam inſtinctu valdè addicti contemplationi *Rerum* Divinarum. Nam antiqui *Druydes* qui erant primi Philoſophi & profeſſores Religionis in Illa, ac Collegiorum loco & Conventuum ſolebant domicilia habere inter ſylvas, & ſolitarios receſſus ad ſpeculanda Dei & Naturæ opera, valdè celebres erant in exteris Regionibus; Nam *Julius Caſar* tradit memoriæ quod *Galli* ſoliti erant huc transfretare, ut a Britannis *Druydibus* inſtruerentur, qui, ut ait alibi (*Cornelio Tacito* etiam, qui per multos annos heic vixerat, idem affirmante) *Britannica* Juventus erat promptioris & prægnantioris indolis quàm *Gallica*; Ac notatu dignum eſt, Britanniam tunc temporis

temporis habuisse bellicosos Reges & principes in prædictis Authoribus celebratos, quum inter *Gallos* non mentio fiat ullius qui multum Famæ obtinuerat: Ad evitandum prolixitatem producemus non nisi pauca exempla; primum erit Regina *Boadicia* illa admiranda Virago, & *Cataracus*, qui propugnando pro Patria plurimos annos naturali vi, & fortitudine incolarum magis quàm Armis, conductus fuit captus ad Romam, ubi retinendo semper eundem innatum vigorem increpabat Romanos, *Quod tam magnificas domus & palatia habentes, tam longa & periculosa facerent itinera ad commorandum in Britannicis tiguriis*; Ante Romanorum appulsum & Incarnationem *Domini* hæc Insula habuerat plurimos Reges longa serie deductos; nam *Cassibelanus* quem Cæsar memorat, sexagesimus tertius Rex erat *Britannorum*; sed notatu dignissimum est, & conducens maximè ad gloriam hujus Insulæ, placuisse *Patri Luminum* singulari indultu sparsisse radios Christianæ Fidei in ea summo mane, missione *Josephi Arimathea*, & aliorum, quod induxit Gregorium 15um in suis litteris ad *Carolum* principem *Walliæ* procantem tunc in Aula *Catholica* Anno 1623, Scripsisse, *Quod subitò postquam Aquila Romana illuc volaverat, Vexillum Crucis in Britannia erectum fuit*; Et cùm *Lucius Surius* Britannicè dictus *Lles vab Coel* filius *Coeli* (quem Antiquarii agnoscunt fuisse primum quotquot unquam fuere, Regem *Christianum*) legatos ad Papam *Eleutherium* amandasset, ut sanctiones ei mitteret quibus posset regere Ecclesiam, Papa in una Epistola Apostolica sic respondit ei, *Vicarius Dei estis in Regno*

no vestro, *Gentes vestræ Regni pulli vestri sunt*, &c. *Habetis penes vos legem*, *& Fidem Christi*, *Habetis utramque Paginam*, &c. ut in venerabili *Beda*, & *Baronio* constat; Et animadvertendum est, hoc fieri longa temporis intercapedine antequàm ullus Rex *Christianus* dominabatur in *Gallia*, aut *Hispania*; Confitendum est *Jacobum* Apostolum fuisse inter *Hispanos*, ac ut Annales testantur, non nisi novem personæ convertebantur; Sed in magna Britannia possumus dicere quod sicut *Sol* cùm primum apparet & culminare incipit in Oriente, illuminat totum hemisphcrium in uno quasi momento; Ita radii *Solis Justitiæ* stupenda celeritate, & successibus, prætereundo multas alias provincias quæ interponebantur quasi intactas, illustrabat hanc Insulam Occidentalem; Adeo ut, cùm *Augustinus* monachus (quem Aliqui *Apostolum* Saxonum seu Anglorum nuncupant) huc appulit pluribus post sæculis, in *Bangoriensi* conventu apud *Wallos* seu antiquos Britannos inveniebantur plùs quàm duo mille *Monachi*: *Pentateuchum* Moisis, & novum Testamentum repertum fuit in linguam Britannicam traductum, cum una certa, & publica formâ seu liturgia Divini officii. Germaniæ tam superioris quàm inferioris provinciæ, cum *Dania* & *Norwegia* agnoscunt recepisse primum lumen *Evangelii*, & *literarum* etiam, adventu *Winfridi*, *& Willebrodi* Britannorum, ut ingeniosus Poeta *Germanus* confitetur in his numeris;

Hæc tamen Arctois laus est æterna Britannis,
Quòd post Pannonicis vastatum incursibus orbem

C *Illa*

Illa bonas Artes, & Graiæ munera linguæ,
Stellarumque vias, & magni sydera Cœli
Observans iterum turbatis intulit oris ;
Quin se Relligio multùm debere Britannis
Servata, & latè circum dispersa fatetur :
Quis nomen Winfrede *tuum, quis munera nescit!*
Te Duce Germanis pietas se vera, Fidesque
Insinuans cæpit Ritus abolere prophanos ;
Quid non Alcuino *facunda Lutetia debet?* &c.

Porrò, ut omnes Antiquarii concurrunt in hac unanimi opinione, *Lucium* prædictum fuisse primum *Christianum* Regem qui in Europa viguit, Ita primus Christianus Imperator, *viz.* Constantinus magnus e visceribus hujus Insulæ exivit ; nam filius erat *Helenæ* celeberrimæ illius Heroinæ, quæ primarium tenet locum in Catalogo Sanctorum, ac in lingua & Historia Britannicæ appellatur usq; ad hanc diem *Elen Lluyding* Helena Bellicosa. Ab his præmissis bene ponderatis hæc conclusio deduci potest, quod Rex Magnæ Britanniæ possit vendicare de Jure titulum *primi Ecclesiæ Filii.* Quapropter (dictum sit cum favore) in dubium justissimè potest revocari, quare *proximus* Rex Illum Titulum sibi assumpserit; nam *Clodoveus* qui primus fuit Rex Christianus in Gallia, viguit 400 annis post *Lucium*, ut omnes Annales attestantur.

His adjungitur, bene notum esse quod præter Titulum *Defensoris Fidei*, de quo in posterum loquuturi sumus, Titulus *Christianissimi* missus fuit Henrico octavo Regi *Anglorum* cum multa solennitate a Papa Julio secundo unà cum gladio,

& Regali caſſide,idemq; Titulus fuit Illi confirmatus authoritate Concilii *Lateranenſis* ; quæ tranſactio publice celebrata fuit *Londinenſi* Civitate in Eccleſia Sancti Pauli, cum haſtiludiis, hippomachia aliiſque triumphis; Tamen omnia hæc non erant niſi renovatio dicti *Tituli*; nam *Oſwaldus*, aliique inter Reges Saxones, & *Edoardus* tertius (dictus *Gallorum Malleus*) gerebant illum Titulum, ut adhuc conſtat in Regiſtris fide dignis.

Imponemus finem præſenti paragrapho cum hac memorabili obſervatione quod Rex Britannorum erat primus omnium qui excutiebat jugum Romani Imperii, quo facto elegerunt ſibi Reges in poſterum ex antiquo ſtemmate *Britannico* oriundos. Itaque poſſumus dicere Dominium Romanorum non eſſe aliud quàm quoddam *Interregnum*; Et hoc evenit cùm non eſſet ullus Rex in *Hiſpania*, aut *Gallia*, quæ per multos annos vocabantur non niſi *Provinciæ* Romanorum; transeamus nunc ad ſecundum paragrahum.

Paragraphus Secundus.

De Independenti ac abſoluto Dominio & Authoritate tam Eccleſiaſticâ quàm temporali Magnæ Britanniæ Regis, &c.

IN præcedenti Paragrapho conſtat, quod *Albion*, vel Magna Britannia erat *ab Initio Regia* Inſula, ex quo prima aggregatio humani generis

cæpit in Illa coaleſcere; nam in ſyſtemate legum *Britannarum* a *Mulmutio Dunwallo* conditarum (pluſquam 2000 annis tranſactis) quæ adhuc extant in perſpicuis Manuſcriptis hæc verba in lingua *Cambrica* reperiuntur *Un goron arbennig y ſydd y ynis pridain* una corona Monarchica tenetur in Inſula Britannica; Juxta Græcum Poetam,

Οὐκ ἀγαθὸν Πολυκοιρανίη, εἷς Κοίρανος ἔστω.

Ab eo tempore uſque ad præſens ſæculum Rex Britannorum habet tam ſupremum & independens dominium quam quicunq; alius Monarcha; Verum eſt, quòd permittit alios quando libuerit participare in *concilio*, nullo modo in *poteſtate*; ſolet quodam genere Influentiæ impertire lumen, & authoritatem ſuis miniſtris, ſed Ille non recipit lumen aliunde.

In vicinis Regnis hoc non fit, præſertim in *Gallia* & *Hiſpania*, ubi poſſumus dicere eſſe *Regnum in Regno*, nam alia *poteſtas* ibi dominatur præter *Regiam*, viz. *legatus de latere*, cujus authoritati ſubeſt *Curia Juridica* quæ obligat ad obedientiam omnes *Eccleſiaſticos*, ex quibus magna pars populi componitur; Quod attinet *Hiſpaniam*, Rex ejus *Feudetarius* eſt aut Papæ, aut Imperatori, aut Regi Francorum pro omnibus Regnis & Territoriis quæ occupat; Regna *Navarræ* & *Granatæ* Feudetaria facta fuerunt a *Julio* ſecundo; *Arragonia* Innocentio Tertio, unà cum regno Sardiniæ *in forma Fiduciæ*; *Sicilia* cum *ambabus Indiis*, *Canariis*, aliiſque Inſulis in mari *Atlantico* tenentur ab Eccleſia; Quod

attinet

attinet ad Regnum *Neopolitanum*, mos est Regi Catholico quotannis Vigilia Sancti Petri offerre Asturconem album cum crumena tenente 17000 ducatus auri *Cameræ, viz.* monetæ Papalis feudi instar pro dicto Regno cum magna solennitate, quo oblato Papa respondet, *quod lubens accipit illud donum a Rege Catholico, modò non sit præjudicio Juribus Ecclesiæ*; Ducatum *Mediolanensem* tenet ab Imperatore; Et *Belgium* a Rege Galliæ inter cujus *Pares* numeratur, ut est Dux *Burgundiæ*, & Comes *Flandriæ*; His Instantiis factis quæstio est inter Juristas, utrum *Feudetarius* possit vocari princeps absolutus, quia *Appellationes* possunt fieri ab eo ad alterum tribunale, sicut Ecclesiastici Hispani solent facere ad Pontificem Romanum in diversis casibus.

Rex Angliæ exemptus est a tali subordinatione, ut leges Terræ fundamentales & Antiqui Judices asseverant; Canon est legum Angliæ qui confirmatur a *Baldo*, & aliis exteris Juristis, quod *Rex neminem habet in Dominiis suis nec superiorem, nec parem*; Alter Canon est, *Omnes sub Illo, Ille sub nullo*; Adjungetur alius, Satis habet *Rex ad pœnam, quòd Deum expectet ultorem*, quod exprimitur hoc Disticho;

Subditus in Regem peccat, Legemq; Fidemq;
At Rex in solum, Rex quia nempe, Deum.

Multi alii Canones sunt qui demonstrant absolutam Regis Angliæ authoritatem, *viz. Quòd Rex nihil facere debet (per asperté) per asperitatem, sed mero motu suo, & Marte*; *Quod Rex Angliæ*

glia nunquàm moritur, sed eo Instante quo unus efflavit animam, proximus Hæres (qui vocatur *Apparens*) est Rex *Inchoativè*, & solennitas Coronationis non tenetur essentialiter necessaria esse, sed mera est ceremonia; nam diversis Regibus ut Henrico quinto, & aliis, generalis Obedientia jurata fuit antequam coronabantur: Occurrunt alteri Canones, *viz.* Quod *Rex Angliæ non potest facere Injuriam*; si aliquid Injusti fiat, fit mediante Ministro per cujus os Rex pronunciat sententiam; præterea, *Nullum tempus occurrit Regi*, non est ulla præscripto, aut tempus Immemoriale contra Regem; Crimen est læsæ Majestatis secundum leges Angliæ non solum moliri aut perpetrare, sed *imaginari* aliquid mali contra personam Regis, *&c.* Quod ad Resignationem attinet quam *Johannes* Rex Angliæ fecerat in una tempestate turbulenta Pandolpho Papæ legato, qua Rex agnoscebat se Papæ esse Feudetarium; respondetur non situm fuisse in potestate Regis secundum leges Angliæ transferendi talem potestatem absque consensu Baronum & Magnatum in Comitiis seu Parlamento sedentium, & quòd Reges succedentes non erant inde astricti ad observandum illud Actum, eo quod tanto erat præjudicio Coronæ: Itaque *Petri denarius* quem Papa exegit *Tributi* instar vel homagii, non erat aliud quàm pura *Eleemosyna*, quæ priùs data fuerat tempore Regis *Ina* 500 annis ante lapsis: præterea Illud Feudum deletum fuit postea in Comitiis vel Parlamento his verbis, *Per præceptum Domini Papæ Rex Angliæ relaxetur omninò in posterum a Fidelitate & Homagio.*

His

His subjungo, quod cùm Pontificia potestas viguit in summo culmine apud Anglos, nullus *Legatus de latere* admissus fuit aliunde, sed Archiepiscopus *Cantuariensis* erat Legatus perpetuus, ideoque vocatus erat *Legatus natus*; Cui in Concilio *Claramontensi* Anno 1096. prærogativa data fuit sedendi ad dextrum pedem Papæ; Quo tempore Urbanus declarabat, in his terminis, *Includamus Hunc in orbe nostro tanquam alterius Orbis Pontificem maximum*; Confitendum est Legatos de Latere a Papa sæpius missos fuisse in Angliam, extraordinariis quibusdam negotiis sese offerentibus, sed hoc non fiebat absque consensu Regio præconcesso, & cum hac limitatione, quod non esset iis licitum aliquid agere quod foret præjudicio legibus Terræ, aut derogatorium Regiæ authoritati.

Hinc constat, quod nulla extranea potestas authoritatem habeat in *Anglia*; Et sicut *Papa*, ita nec *populus* consideratus aut *diffusivè*, *collective*, *repræsentativè*, vel *virtualiter*, capax est particeps fieri supremæ Authoritatis; non est ulla potestas aut Coordinata, Coæqualis, Corrivalis, aut Collateralis potestati Regiæ; Regibus Angliæ pura puta potestas est, non derivata aliunde, nec dependens a Papa, aut populo, vel alia potestate quacunque; Reges sunt *Gratia Dei*; quæ verba excludunt ullam terrenam dependentiam; Luculentis constat testimoniis quòd Ille celebris Legislator Rex *Ina* plus quam mille annis jam præterlapsis in proœmio suarum legum, Incipit, *Ego Ina Dei gratiâ Rex*, &c. Et hoc fuit 200 annis ante Carolum

Magnum, quo tempore Stylus *Dei gratiâ* primùm usitatus fuit in Imperio.

Huc accedit, quod sicut Rex Magnæ Britanniæ vendicat hanc supremæ potestatis amplitudinem, & Independentiam *Terrâ*, Ita *Mari* non habet minorem, quæ tanta est, quòd asserere ausim (sine derogatione, multò minus injuriâ ulli principi) nullum alium Regem habere similem; maxima potestas quam Gallia sibi vendicat, est in Oris *Armorica* vel minoris Britanniæ & paucis leucis in mari Mediterraneo; Hispanus declarat Mare commune esse, & liberi usus (sicut Aer) non assumens sibi ullum peculiare Dominium; In *Italia* quidam principes sunt qui prætendunt habere proprium quoddam jus, & Dominium in quibusdam maribus; Magnus Dux *Hetruriæ* vendicat dominium in *Tyrrheno* mari; status *Genuæ* in mari *Ligustico*; Respublica *Veneta* in *Adriatico*, cui solet desponsari quotannis Festo Ascensionis, solenni processione per mare circumvicinum celebrata in *Bucentoro*, projiciendo annulum in aquas; Et dicta Respublica tantum sibi potestatis assumit in illo Mari imponendi tributa, quantum habet in ipsa Civitate Veneta, & mandandi quascunque Naves illi placuerit exonerare mercimonia sua in dicta Urbe.

Deus & natura multùm indulsisse videtur Regi Daniæ angusto transitu Maris vocato *Oresunda* seu Os undense, quod existimatur esse maximum Regni sui firmamentum, eò quod vectigalia seu *telonia* imponit quibuscunque navibus Mare *Balticum* intrantibus vel exeuntibus. Habet etiam quoddam

dam laxum dominium in Mari Norwegio, seu *Hyperboreo*; Rex *Lusitaniæ* quoque dominium habere dicitur maris *Africani* Meridionalis quod declarari solet his verbis in suis Diplomatibus, *Don Alonso por graca de Deos Rey*, &c. *Senhor de Guinea, & da Conquista, Navegacaon & Comercio d' Etiopia, Arabia, Persia, & da India a todos*, &c.

Prædicti principes Illi sunt qui agnoscuntur habere Dominium Maris, sed eorum potestas sese extendit solùm usque ad portus, & littora, vel Oras, & maritimos tractus; non possunt dici habere dominium in alto sicut Rex Magnæ *Britanniæ*, Cujus potestas extenditur ad quatuor distincta Maria quæ sua Regna circumfluunt, quorum non est solùm *Dominus* sed *Protector* etiam contra Piratas & prædatorios Latrones qui frequenter huc illuc grassantur: Ita ut cum *Dominio Defensionem* etiam Illorum Marium suscipit cum solo Jure *Piscationis*; Meritò igitur omnes Naucleri, qui illa Maria adnavigant cujuscunq; Nationis sint, vexilla & vela solent contrahere obvenientes Navibus Regiis *Angliæ* Honoris ergò; Nec Navigiis solùm sed castris etiam & propugnaculis ad littora prominentibus hanc præstant observantiam in transitu; Quod signum, & symbolum Dominii Respublica *Veneta* non videtur vendicare in Mari *Adriatico*, quamvis habeat phaselos suos Navesq; & Triremes militares in perpetuo cursu ac protegendum illum Maris tractum, Mercatoresque ibi circumnavigantes a Pyratis & *Cursariis* qui illo Gurgite volitare solent; Quod Dominium & protectio inter præcipua

pua Sancti *Marci Regalia* numeratur, quamvis illa extensio Maris quam protegit, vix nonaginta milliaria excedat.

Sed Dominium Regis Magnæ *Britanniæ* dici possit non habere horizontem, quia non terminatur in Illis Maribus solùm quæ sua Territoria circumfluunt, sed ut Juristæ asserunt, se extendit usque ad littora *transmarina*, imò versus Boreales partes usque ad *Polum Arcticum*: Quod *Hugo Grotius* semel confessus est, in Illo Panegyrico quod in lucem edi fecit Inauguratione Regis *Jacobi* Scotiæ Sexti, Angliæ primi ejus nominis, In quo ita canit,

——Rerum Natura Creatrix
Divisit populos, & metas Ipsa notavit;
Sic juga Pyrenæ, sic olim Rhenus, & Alpes
Imperii mensura fuit; Te Flumine nullo
Detinuit, nulla nimbosi verticis arce,
Sed totum complexa parens his terminus ipsa
Substitit, atque uno voluit sub limite claudi;
Te sibi seposuit supremo in gurgite Nereus;
Finis hic est qui fine caret; Quæ Meta *Britannis,*
Littora *sunt Aliis, Regnique accessio tanti est*
Quod ventis velisque patet——

Colophonem addemus huic Paragrapho cum hoc postulatu seu quæstione ad Lectorem sanioris Judicii, Utrum, potentiâ Regis Magnæ Britanniæ tam *Mari* quàm Terrâ bene perpensâ, & Argumentis præcedentis Paragraphi collatis cum præsente, consentaneum rationi sit, ut dictus Rex postponatur ulli alii Regi quicunque Ille sit; sed transeammus jam ad tertium Paragraphum.

Para-

Paragraphus Tertius.

De eminentia, & Regia Dignitate, cum amplitudine, & Titulis Britanniarum Regis.

CORsetus, Author non incelebris distinguit Reges in *Illustres*, & *superillustres*, collocatque Regem *Angliæ* secundum perillustrium, & inter alias una ratio est quod sit *Rex Unctus*, quum alii Reges talem non habeant excellentiæ notam; Nam præter Reges *Angliæ* & *Franciæ* (eumque *Siciliæ* & *Hierosolymæ*) nulli alii sunt capaces *Unctionis*. Regi etiam *Angliæ* divinitùs conceditur donum medendi *strumati*, seu morbo Comitiali; quapropter apud *Anglos* vocatur *Malum Regium* ab effectu sanationis a Rege, quum Galli eum vocent les *ecrovelles*, & Hispani los *lamparones*; Non ignarus sum quosdam opinari Regi Angliæ virtutem hanc curandi indultam fuisse postquam assumsit titulum Regis *Franciæ*; sed vulgaris error est; nam *Edoardus Confessor* Rex *Anglus* ante trecentos annos prius quàm ullum commercium haberetur cum *Francia*, solebat curare illud morbi genus, ut Annales fide digni attestantur.

Platina denominat Regem *Angliæ* Filium *Adoptivum* Ecclesiæ, Imperatorem *primogenitum*, & Galliarum Regem Filium *natu minorem*; *Volaterranus* citatus est a *Philippo Honorio* (Authore bene

bene excepto) in quodam opere suo vocato *praxis politicæ* prudentiæ anno Incarnationis 1610. Quòd *Julius* secundus assignabat præcedentiam Legato seu Ambasciatori *Anglo* ante *Hispanum*; Constat *Henricum* secundum Regem *Angliæ* fuisse etiam Regem *Hierosolymæ*; & quòd *Guido Lusignanus* ad quem pertinebat transmittebat dictum Titulum *Ricardo* primo loco Regni *Cypri*; constat etiam *Edoardum* tertium Regem *Angliæ* creatum fuisse *perpetuum Vicarium* Imperii, *&c.*

Legimus *Hispaniæ* Legatum nunquam in dubium vocasse prærogativam prioritatis Legati *Angliæ* ante Concilium *Basiliense*; Et quod ad Altercationem inter eos attinet in Concilio *Constantiæ* celebrato, Opus quoddam impressum fuit *Lovan.* Anno 1517 cui Titulus erat *Nobilissima disputatio super dignitate & magnitudine Regnorum Britannici & Gallici habita ab utriusque Oratoribus in Concilio Constantiensi*, &c. Ubi observatu dignum est *Britanniam* præponi *Galliæ* in ipso Frontispicio; Et in Illa Dissertatione Rationes Utriusque Regis eventilantur.

Henricus Sextus *Anglorum* Rex amandavit *Johannem Polden* Episcopum Cicestrensem & alios ad Concilium *Sienæ* habitum ad exigendam præcedentiam Sessionis; aliter protestari vellet, & prosequi suam Protestationem. Prædicto Regnante *Henrico* Instrumentum publicum editum fuit ab *Erico* Rege *Sueciæ* & *Daniæ* in quo *Angliam Galliæ* præponit; Verba dicti Instrumenti sic se habent; *Caveant omninò Mercatores, & alii quicunque homines Reg. Angliæ & Franciæ ne de cætero sub pœna amissionis vitæ, & Bonorum, visitare*

tare præsumant Terras Islandiæ, Finmarchiæ, Hulghalandiæ, seu alias quascunque Terras prohibitas, aut portus Illegales in Regnis Daniæ, Sueciæ, & Norwevigiæ; Cujus Instrumenti authentica copia allata fuit a *Daniæ* Legato ad Civitatem *Bremensem* Anno 1562, & monstrata Delegatis Angliæ ibi tunc tractantibus nomine Reginæ *Elisabethæ* circa celebrem illam disputationem inter eam & Civitates *Hansiaticas*.

In Capitulationibus pacis conclusis inter *Henricum* septimum Angliæ Regem, & *Johannem* secundum Regem *Daniæ* & *Norvegiæ* Anno 1490. *Anglia* præponitur *Franciæ* (exempli gratiâ) *Sancitum est quod Mercatores & Homines Ligii, Piscatores, & quicunque alii Reg. Angliæ & Franciæ subditi liberè possint temporibus futuris in perpetuum ad Insulam Tyle*, viz. *Islandiam*, &c.

Augustus de Cavallis, qui non est obscurus Author, infert Reginam *Angliæ* a suis prædecessoribus esse Reginam *Franciæ* respectu *Hærentiæ, Victoriæ & donationis*: In transactionibus pacis inter *Henricum* septimum Anglorum Regem, & *Philippum* Castellæ, Anno 1506, Legati *Angli* primi signabant articulos; Nec minùs in Capitulationibus Matrimonii inter Reginam *Mariam* & *Philippum* secundum Hispaniarum, prioritas signandi data fuit Legatis *Angliæ*.

Cùm Regina *Elisabetha* misisset Legatos Comitem *Derbiensem*, Baronem *Cobham*, Jacobum *Crofts* Militem auratum cum Doctoribus *Dale* & *Rogers* Jurisperitis ut *Assistentes* ad *Ostendam* Anno 1588 Dignitatis prærogativa & Incedendo & sedendo & signando concessa fuit prædictis Legatis sine ulla difficultate. In

In congressu legatorum Angliæ & Hispaniæ habito *Boloniæ* in Gallia, Regina *Elisabetha* delegabat Henricum *Nevile*, Johannem *Herbert* milites auratos cum aliis, qui in mandatis expressè habebant non concedendi prioritatem Legatis *Hispaniæ*; Cùm convenerunt, calida exorta est disputatio de *præcedentia*; *Angli* producebant Scripturam a *Roma* missam, & extractam fideliter e libro Ceremoniarum (qui secundum Canonem regulas dat controversiis hujus naturæ) In qua Scriptura liquidò constabat Regem *Castellæ* debere locum cedere Regi *Angliæ*; Quòd *Angli* legati potiebantur hoc Jure prioritatis in Conciliis *Basiliensi*, & *Constantiensi* cum aliis; Allegabant ulteriùs Regnum *Castellæ* a quo Reges Hispaniæ primarium derivant Titulum, non esse nisi modernum, & recens Regnum comparatione facta cum *Anglia*; *Nam Castella* gubernabatur a *Comitibus* usque ad annum 1017; præterea, *Julius* Pontifex Romanus sententiam tulit pro Rege *Henrico* septimo contra *Ferdinandum* Regem *Castellæ* in hoc particulari.

His adjungitur, *Magnam Britanniam*, quantum ad eminentiam Tituli attinet, frequenter vocatam fuisse *Imperium* a celeberrimis Authoribus; Imò vero *Urbanus* Pontifex in Concilio *Claramontensi* sex sæculis jam præterlapsis appellat *Eam Alterum Orbem*; nam in prædicto concilio Archiepiscopus *Cantuariensis* vocatur *Alterius Orbis Pontifex Maximus*; sed quid jam dicturus esset quum bina alia Regna, *Scotiæ* scilicet & *Hiberniæ*, *Angliæ* subjecta sint? Porro, nonnulli Regum Anglo-Saxonum frequenter stylum habuerunt

Impe-

Imperatorum, ut Ego *Ethelredus*, Ego *Edgarus* Anglorum *Induperator*. Gulielmus *Normannus* incepit sua diplomata *Ego Willielmus Anno Imperii mei secundo*, ut constat in registris Monasterii *Shaftsburiensis* ; *Henrico* Octavo regnante *Anglia* nominata fuit *Imperium* solenni Edicto *Parlamenti*, quo tempore vocatus etiam fuit *Metuendissimus* & *Præpotentissimus* Monarcha ; Civitasque Londinensis a multis sæculis vocatur *Imperialis* Regis Camera ; sed imprimis memorabile est diploma illud Regis *Edgari* adhuc extans inter Registra *Vigorniæ* ut sequitur.

Altitonantis Dei largiflua clementia qui est Rex Regum, Ego Edgarus Anglorum Basileus, omniumque Regum, Insularumque, & Oceani Britanniam circumjacentis, cunctarumque Nationum quæ infra eam includuntur Imperator, *& Dominus, Gratias ago Deo omnipotenti Regi meo, qui meum Imperium sic ampliavit, & exaltavit super Regnum Patrum meorum ; qui licet Monarchiam totius Angliæ adepti sunt a tempore Athelstani qui primus Regnum Anglorum, & omnes Nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit, nullus tamen Illorum ultra ejus fines Imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia Divinitas cum Anglorum Imperio omnia regna Insularum Oceani cum suis ferocissimis Regibus usq; ad Norwegiam, maximamque partem Hiberniæ cum sua nobilissima Civitate Dublinia Anglorum Regno subjugare. Quos etiam omnes meis Imperiis colla subdere, Dei favente gratia, Coegi.*

Quapropter ut ego Christi gloriam, & laudem

in Regno meo exaltare, & ejus servitutem amplificare devotus disposui, & per meos fideles Fautores Dunstanum Archiepiscopum, Ayeliolanum ac Oswaldum Archiepiscopos quos mihi Patres Spirituales & Consiliarios elegi Magna ex parte disposui,&c.

Facta hæc sunt anno Domini 964, Indictione 8 Regni. Ego Regina Alfrye consensi, & signo Crucis confirmavi +

Annales referunt dictum Regem *Edgarum* quamvis exigui corporis, tamen ingentis animi fuisse, quod apparuit quando *Kennadium* Regem *Scotorum* proceri nec non robusti corporis singulari certamine superavit; Qui *Rex* cum *quatuor* aliis dicuntur remigasse Eum in Flumine *Devæ* ad Urbem *Cestrensem.*

Seculo proximè elabente memorabile factum refertur *Canuti* Regis qui cum in arenis *Southamptoniæ* sisteret, Mari fluente, cathedram Regiam sibi poni jussit, ex qua cum sceptro in manu & corona in capite numerosa procerum caterva stipatus, cum spumantes undæ, & reciprocantes fluctus cathedram suam supplantare ceperant, Rex in mandatis dedit *Mari* his verbis, *Tu es mihi subjectus, & Terra in qua sedeo mea est; Igitur Jubeo Te quod non venire audeas super Terras meas, nec præsumas humectare vestimenta, & corpus tui Domini;* Sed surdo narrabat fabulam; nam tumentes undæ, absque ulla reverentia aut metu habito, inceperant madefacere pedes, & crusculas; Tunc retrocedens Rex, orationem fecit astantibus in qua declarabat, *Neminem dignum esse nomine*

Regis

Regis nisi Illum solum cujus nutu Mare simul cum Terra se succumbit; Et ut Historia procedit, ab eo tempore, nec sceptrum nec *coronam* auream gestare voluit, sed fixam Cruci, consecrabat eam mundi moderatori.

Varii erant antiqui Illi tituli dignitatis qui signanter solebant deferri a summo Pontifice Regibus *Britanniæ*, quorum nonnulli erant in *Abstracto* (qui plus substantiæ, & amplitudinis præ se ferunt quam tituli in *concreto*) ut Magnitudo Tua, Celsitudo Tua, Sublimitas Tua, *Edoardo* quarto data fuit *Regia Majestas* ante quam idem Titulus notus erat apud *Gallos*, ubi non in usu fuit usque ad tempus *Henrici secundi*; Et *Sacra Majestas* quibusdam annis subsequentibus; Quapropter bene mane *Majestas* attributa fuit *Henrico octavo* Regi *Angliæ* a Papa *Leone* in quodam publico Instrumento quo in mandato dat omnibus Christianis ut deinceps in perpetuum, post Titulum *Regis*, stylus *Defensoris Fidei* Illi daretur; Quod celebre Apostolicum Instrumentum ipso Pontifice, & 27 Cardinalibus signatum Æra Domini 1521, dignum censui heic inserendum, quia extractam hanc Copiam habui ab *Originali*.

Leo *Episcopus servus servorum Dei*, *Charissimo in Christo Filio* Henrico *Angliæ* Regi, *Fidei Defensori*, *Salutem*, *& Apostolicam benedictionem. Ex supernæ dispositionis arbitrio, licet imparibus meritis, Universalis Ecclesiæ regimini præsidentes ad hoc cordis nostri longè lateque diffundimus cogitatus ut Fides Catholica sine qua nemo proficit ad salutem, continuum suscipiat incrementum. Et ut ea*

quæ pro cohibendis conatibus illam deprimere, aut pravis mendacibusque commentis pervertere, & denigrare molientium ſana Christi Fidelium præſertim Dignitate Regali fulgentium Doctrina ſunt diſpoſita continuis proficiant incrementis partes noſtri Miniſterii, & operam impendimus efficaces. Et ſicut alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri Catholicos Principes, prout Rerum & temporum qualitas exigebat, ſpecialibus favoribus proſequi conſueverunt, Illos præſertim qui procelloſis temporibus, & rabida Schiſmaticorum & Hæreticorum ferveme perfidia, ſolùm in Fidei ſerenitate, & devotione illibata ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ immobiles perſtiterunt; Verum etiam tanquam ipſius Eccleſiæ legitimi Filii ac fortiſſimi Athletæ Schiſmaticorum & Hæreticorum inſanis furoribus ſpiritualiter & temporaliter ſe oppoſuerunt.

Ita etiam nos Majeſtatem Tuam propter Excelſa & immortalia erga nos, & hanc ſanctam ſedem in qua Divina permiſſione ſedemus, opera & geſta condignis & immortalibus præconiis ac laudibus efferre deſideramus, ac Ea ſibi concedere propter quæ invigilare debeat a grege Dominico arcere lupos, & putrida membra quæ myſticum Christi Corpus inficiunt, ferro & materiale gladi abſcindere, & nutantium corda fidelium in Fidei ſoliditate confirmare.

Sanè cum nuper dilectus Filius Johannes Clerk Majeſtatis Tuæ apud nos Orator in Conſiſtorio noſtro coram venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & compluribus aliis Romanæ Curiæ Prælatis Librum *quem Majeſtas Tua Charitate quæ omnia ſedulò, & nihil perperam*

ram agit, Fideique Catholicæ zelo accensa, ac devotionis Erga nos & Hanc sanctam sedem fervore inflammata contra Errores diversorum Hæreticorum sæpius ab hac sancta sede damnatos, nuperque per Martinum Lutherum suscitatos, & innovatos, tanquam nobile & salutare quoddam Antidotum composuit, nobis examinandum, ac deinde Authoritate nostra *approbandum obtulisset, ac luculenta oratione sua exposuisset, Majestatem tuam paratam ac dispositam esse, ut quemadmodum veris rationibus, ac irrefragabilibus sacræ Scripturæ ac Sanctorum Patrum authoritatibus, notorios Errores ejusdem Martini confutaverat: ita etiam omnes eos sequi, & defensare præsumentes totius Regni sui viribus, & Armis persequatur, nosque ejus* Libri *admirabilem quandam, & Cœlestis gratiæ rore conspersam Doctrinam diligenter, accurateque introspeximus, Omnipotentis Dei a quo omne Datum optimum, & omne Donum perfectum est, immensas gratias egimus, qui optimam, & ad omne bonum inclinatam mentem tuam inspirare, eique tantam gratiam superne infundere dignatus fuerit, ut ea scriberes quæ sanctam ejus Fidem contra novum errorum damnatorum hujusmodi suscitatorem defenderes, & reliquos Reges, & principes Christianos tuo exemplo invitares ut & Ipsi etiam Orthodoxæ Fidei, & veritatis Evangelicæ veritati in periculum & discrimen adductæ omni ope sua adesse, opportunéque favere vellent; Æquum autem esse censentes Eos qui pro Christi Fidei hujusmodi defensione pios labores susceperunt, omni laude, & honore afficere, volentesque non solùm ea quæ Majestas Tua contra eundem Martinum Lutherum ab-*

absolutissima doctrina, nec minori elequentia conscripsit condignis laudibus extollere, ac Magnificare, Authoritateque nostra approbare, & confirmare, sed etiam Majestatem Ipsam tuam tali honore ac Titulo decorare Ut nostris, ac perpetuis futuris temporibus Christi Fideles omnes intelligant quàm gratum, acceptumque nobis fuerit Majestatis Tuæ munus hoc præsertim tempore nobis oblatum.

Nos qui Petri quē Christus in Cœlum ascensurus Vicarium suum in Terris reliquit, & cui curam sui Gregis commisit, veri successores sumus, & in hac sancta sede a qua omnes Dignitates & Tituli emanant, sedemus, habita super iis cum eisdem Fratribus nostris matura deliberatione de eorum unanimi consilio & assensu Majestati Tuæ Titulum hunc, viz. Fidei Defensorem *donare decrevimus, prout Te tali Titulo per præsentes insignimus, mandantes omnibus Christi Fidelibus ut Majestatem tuam hoc Titulo nominent, Et cùm ad eum scribant post Dictionem* Regi *adjungant* Fidei Defensori.

Et profecto hujus Tituli excellentia, & dignitate ac singularibus meritis Tuis diligenter perpensis, & consideratis, nullam neque dignius, neque Majestati Tuæ convenientius nomen excogitare potuissemus, quod quoties audies, aut leges, toties propriæ virtutis, meritique optimi Tui recordaberis; Nec hujusmodi Titulo intumesces, vel in superbiam elevaberis, sed solitâ tuâ prudentiâ humilior, & in Fide Christi, ac devotione hujus sanctæ sedis a qua exaltatus fueris fortior, & constantior evades, ac in Domino bonorum omnium largitore lætaberis perpetuum

tuum hoc & immortale gloriæ tuæ monumentum Posteris Tuis relinquere, *Illisque viam ostendere ut si tali Titulo Ipsi quo insigniri optabunt, talia etiam opera efficere præclaraque Majestatis Tuæ vestigia sequi studeant, quam prout de nobis & dicta sede optimè merita est cum Uxore & Filiis, ac omnibus qui a Te, & ab Illis nascentur nostra benedictione in nomine Illius a quo Illam concedendi potestas nobis data est, larga & liberali manu benedicentes Altissimum Illum qui dixit Per me Reges regnant, & principes imperant, & in cujus manu corda sunt Regum, rogamus & obsecramus ut eam in suo sancto proposito confirmet, Ejusque devotionem multiplicet, & præclaris pro Sancta Fide gestis ita illustret, ac toti Orbi Terrarum conspicuum reddat, Ut Judicium quod de ipsa fecimus, eam tam Insigni Titulo decorantes, a nemine falsum aut vanum judicari possit. Demùm mortalis hujus vitæ curriculo finito, sempiternæ Illius Gloriæ consortem atque participem reddat.*

Dat. Romæ *apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo Vicesimo primo, Quinto Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno nono.*

Ego Leo Christ. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, Tum sigillum & signum, insculptum fuit interius Sanctus Petrus + Sanctus Paulus hoc dicto circumambiente *Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit Me.*

Huic adjunctum fuit chirographum 27 Cardinalium in utroque latere ſigilli; Cardinales *Epiſcopi* ad dextrum ſigilli juxtim; Tum ad dextrum latus Eorum Cardinales *Presbyteri* ſignabant; Et ad ſiniſtrum ſigilli (ut pro more eſt in omnibus Decretis & Inſtrumentis publicis) Cardinales *Decani* ſubſcribebant.

Liber prædictus *Henrici* Regis, Papæ oblatus fuit in pleno Conſiſtorio a D. Johanne *Clerk*, tunc temporis Romæ Legato, ſolenni Oratione præhabita; Cujus Libri Originale adhuc extat in *Vaticana* Bibliotheca, cum hac Dedicatione propria Regis manu ſcripta,

Anglorum Rex Henricus Leoni X°, mittit
Hoc Opus, & Fidei Teſtem, & Amicitiæ.

Jam vero, ut *Regi Angliæ* Tituli talis ſupereminentiæ deferebantur, Ita *primogenitus* Illius Titulum gerit non inferiorem ulli alii Hæredi *Regio*, nam vocatur *Princeps Walliæ*, qui Titulus antiquior eſt quàm *Daulphin* vel Daulphinus quo diſtinguitur *Primogenitus* Regis *Francorum*; Præterea, quum Filii aliorum Regum ex utero egrediantur tam nudi, ut vix habeant ex ſuo unde faſciolas emant, aut nutrices ſuſtineant niſi ex dono *Patrum* regnantium, *Primogenitus* Regis *Angliæ* ipſiſſimo inſtante quo naſcitur, eſt *Dux Cornubiæ*, & ſecundum *legem Terræ*, inveſtitur plenaria poſſeſſione, cum redditibus & honore ejuſdem *Ducatus*; Verum eſt characterem principis *Walliæ* dependere a puro motu, & beneplacito Regis, quod ſtatutum fuit a *ratione ſtatus*, ut

aiunt,

aiunt, vel Politica cautione, tenendi Primogenitum, seu Hæredem Coronæ intra limites strictioris observantiæ.

Neque inveniuntur aliæ *Reginæ* quæ splendidiori curia,& dignitate vigent quam Reginæ *Angliæ*; nam quamvis sint *Alienigenæ* (in principio) & sub tutela mariti, tamen penes eas est emendi & adquirendi terras ac hæredia, eáque collocare venia *Regis* non petita; Porro, nemo contestari lite contra Reginam capax est, nisi permissione priùs ab ipsa Regina *precario* rogata.

Progredimur jam ad quartum Paragraphum.

Paragraphus Quartus.

De Rebus in Bello gestis, de triumphis, & Victoriis a Regibus Magnæ Britanniæ domi, Forisque partis, &c.

AD implendum hunc Paragrahum retrospiciendum est a longinquo; exordiemur a *Brenno* celeberrimo Illo, & Audace *Britanno*, qui administratione consulum, cepit & vastavit *Romam* 364 annis ante Incarnationem Domini, & profectus inde victoriosus præclara ac miranda edidit facinora in *Græcia*, & *Asia*; Ideoque in honorem viri & virtutis ejus *Rex* vocatur *Brennin* usque ad hunc diem apud antiquos *Britannos*; Rex *Cataracus* ingentem Romanorum exercitum devicit aperto Marte, & *Boadicia* miranda Illa virago 70000 Eorum debellavit in uno die; Rex

Arthurus ob ſuam fortitudinem numeratur *primarius* inter novem mundi *Heroes*, profligabat Saxones in duodecem prælιis, & erat primus qui erigebat *equeſtrem* Ordinem militiæ inter Chriſtianos.

Duo Anglorum Reges, & tres Filii eorum expeditiones fecerunt ad *Terram Sanctam*; Quàm glorioſa geſta perpetravit *Richardus* primus ſub illo climate, ideoque ob magnitudinem animi cognominatur in Hiſtoria *Cor leonis*; Quod induxit Regem Galliæ, perculſum invidia geſtorum, *Richardi* deſerere exercitum Chriſtianum ibi præliantem, & domùm regredi ante præſtitutum tempus: Dictus Rex *Richardus* ſubegit *Cyprum*, & duſponſans ibi Dominam *Berengariam*, transferebat Regnum Guidoni *Luſignano*, ad quem Corona *Hieroſolymitana* de jure pertinebat, quam reſignare voluit præfato Regi Richardo, ut ante notatum eſt vice Regni Cypri.

Sed *Galli* ſunt ii quos *Angli* toties profligagarunt, & ſubjugarunt volatu *alæ anſerinæ*, ut aiunt, quâ toties penetrarunt ipſa Galliæ Medicullia in pluribus admirandis præliis quæ difficulter æquiparari poſſunt ſi omnes circumſtantiæ minutim perpendantur; Inſtantiam faciemus in quibuſdam celebriorum; & prælium vel pugna *Creſſenſis* primo intuitu ſe offert.

De pugna Creſſenſi *pertinaciſsimè dimicata inter* Anglos, *&* Gallos.

Heroicus Ille Anglorum Rex *Edoardus tertius* laceſſitus plurimis injuriis a *Philippo* Valeſio Francorum

corum Rege trajiciebat Galliam exercitu 20000 militum quorum major pars erant pharetrati seu *Sagittarii*, teste *Froissardo*; secum attulit suum primogenitum principem *Walliæ* adhuc impubem (qui postea appellatus fuit *Princeps niger*) ad eum in Re militari educandum; Post appulsum in Normannia Rex *Anglus* ipsa totius provinciæ viscera penetrabat gladii cuspide usque ad Vicum *Poyssy* decem milliaribus a *Lutetia* distantem, & post varia præliola in transitu Ingens *pugna* determinata fuit inter ambos Reges; *Edoardus* cum integro exercitu fixum se tenuit prope pagum quendam vocatum *Cressy*, ubi suas copias divisérat in tria agmina; primum erat sub conductu principis *Walliæ*; secundum sub comite *Arundellæ* & *Northamptoniæ*, & Rex ipse in persona conducebat tertium Agmen seu *Triarios*; Cùm totus Exercitus esset hoc ordine exactè regulatus phalangis instar, Rex altum equum insiliens, circumlustrans singulas cohortes, iisque tam hortatu quàm exemplo suo animum infundens ad opus die, excitat, & ut unusquisque memor esset se esse *Anglum*, & quàm decorum esset pro Patria mori, *&c.*

Exercitus *Gallorum* bis excedebat *Anglos* numero militum; nam consistebat ex 60000 pugnatoribus, inter quos plurimæ cohortes erant cataphractariæ & veteranæ; Flos procerum, & nobilitatis equitumque *Galliæ* ibi apparuit, Inter quos Dux *Alensonius* frater Regis supereminebat; Rex *Bohemiæ* etiam, cum ducibus *Sabaudiæ*, *Flandriæ*, & *Lotharingiæ*, diversisque aliis principibus in auxilium *Philippi* venerant, & armati omnes in

Acie steterunt; Frons exercitus vel prima Acies conducta fuit a Fratre Regis prædicto Duce *Alensonio*, Tergum exercitus, seu postrema Acies a Duce *Subaudiæ*; sed corpus ipsum exercitus ab ipso Rege qui impatiens moræ, & inflatus spe ac certitudine Victoriæ ob multitudinem suæ gentis non voluit admittere consilium ante congressum; Rex *Bohemiæ* ætate provectus voluit, ut exercitus pastu & potu se refocillaret ante prælium committendum, & quod *Ligures* seu *Genoenses* qui consistebant ex 15000 balistariis in prima acie positi essent, & cohortes equitum eos sequerentur; Sed Dux *Alansonius* ægrè & indignabundus ferebat quod *Genoenses* haberent honorem *Primæ Alæ*; quapropter furioso quodum impetu fecit eos mutare locum, quod ita illis displicuit ut magis incensi erant contra eorum *Ducem* quàm contra *Inimicum*; sed interea gravis imber cecidit seu cataractus aquæ pluvialis qui madefecit chordas balistarum, quas non illis venit in mentem tegendi durante pluvia (sicuti *Angli* fecerant in illo temporis intervallo) quod chordas balistarum tam molles & lubricas reddebat, ut non essent usui quando pugna incepit; cessante pluvia sol micuit in ipsa facie *Gallis*, quod iis perstringebat oculos, sed radios suos emittebat in terga *Anglorum*; Rex *Edoardus* in una Ventimola vicina se posuerat unde tanquam a speculatoria Turre posset explorare, & discernere vultum Hostis, & observans tumultum qui ortus erat inter *Genoenses* ob mutationem loci, in mandatis dedit, ingruere & oppugnare primùm illam partem exercitus, quod tam vigoroso impetu factum

est

est ab *Anglis*, ut balistarii *Genoenses* ceperunt in fugam se conjicere. Dux *Alanisonius* videns hoc, furibunde circumequitabat clamando sa sa *Irruamus in ventres horum Genoensium* nam *nobis obstaculo sunt*; Hoc modo irruendo per medium eorum agmen, ad exercitum *Anglorum* pervenit ubi princeps *Walliæ* mandabat; pugna inita est acerrima, & dubio Marte volitans, Regi nunciatum fuit ut majores copias principi emitteret. Rex percunctabatur nuncios utrum *Princeps* erat vulneratus aut mortuus; responso claro quòd adhuc bene valebat, Rex replicuit, Tum dicatis Illis qui vos miserunt, quod quamdiu Filius meus valuerit, alios ad me nuncios non mittant, *nam voluntas mea est ut Ille gloriam adipiscatur hujus diei*; Ita pugnacissimè dimicatum est plurimis horis; tandem equo Regis *Philippi* occiso inter pugnandum, se subduxit a prælio. Quod cum *Anglis* innotuerat, talem fiduciam, robur & animum in eos infudit ut paulo post completam nacti sint & gloriosissimam victoriam.

Ista fuit una ex primis & celebrioribus pugnis quæ commissæ fuerunt inter *Anglos* & *Gallos*, quæ tam cruenta evasit ut nemo captus remanserit in vita, sed omnes gladio interempti fuere. Numerus Gallorum qui perierunt in illo prælio, excedebat totum *Anglorum* exercitum; nam plus quàm triginta millia funditus eversi & occisi fuerant, quorum præcipui erant Dux *Alansonius* frater regis, Duces *Borboniæ*, & *Lotharingiæ*; Comes *Flandriæ*, Delphinus *Viennensis* filius *Imberti*, qui dono dedit Illam provinciam Regi Francorum, cum pacto quòd *primogenitus* Regum Franciæ sem-

ſemper agnominaretur *le Dauphin* (Delphinus) quod adhuc continuatum eſt.

Præter Hanc inſignem victoriam, alia etiam in *Anglia* eodem quaſi menſe parta fuit a Regina *Angliæ* Uxore prædicti *Edoardi* contra *Scotos*; (Nam *Scoti* fœdus iniverant eo tempore cum *Gallis* contra *Anglos*) In illa celebri pugna *David* Rex Scotorum captus fuit & evectus in Angliam; ſed hoc reſervatur alii loco; Et jam juxta methodum nobis propoſitam ad ſecundam ex Inſignioribus *pugnam* Inter *Anglos* & *Gallos* progrediemur, quæ vocatur a Chronologis pugna *Pictonica.*

Pugna Pictonica vel de Poitiers *inter* Anglos *&* Gallos.

Supradictus princeps *Walliæ* reverſus in Angliam et jam adultus, vocatuſque deinceps *princeps Niger*, a patre miſſus fuit ad gubernandum *Aquitaniam* unde, Induciis cum *Gallo* finitis, & novâ belli cauſâ oblatâ, ſubegit omnes provincias interpoſitas, uſque ad terram *Taronenſem*; *Johannes* Gallorum Rex potentem exercitum inſtruit majorem illo *Creſſenſi* campo; & profectus ad oppugnandum principem *Walliæ*, Illum prope urbem *Pictavium* invenit, habentem non niſi decem millia militum in toto apparatu, ſed copiæ militares Regis ſexaginta millibus pugnantium conſiſtebant; Ideoque *Princeps* proponens ſibi ad *Burdegalam* reverti, interceptus fuit, & ſubitò circumſeptus exercitu Regis; Ante prælium duo Cardinales in *Aciem* venerunt ad proponendos pacis

pacis articulos, sed potentiâ sui exercitus nixus ovansque Rex non voluit auscultare, nisi Princeps se redderet discretioni Regis ut victum & insuper quatuor obsides mitteret. Princeps respondit quod contentus erat restituere loca illa quæ bono Marte, & justis armis in suam ditionem redigerat, sed absque præjudicio suo *Honoris*, cujus obligatus erat rationem dare Regi suo Patri, *&c.* at surdo narrabat fabulam; nam Rex furiosè intentus erat ad prælium, & Princeps etiam æque intentus erat vitam carò exponere & prælium inire, quamvis ad tales angustias reductus; quapropter observans fortuito & feliciter positionem ac situm soli circumjacentis, & exploratione facta quod vis exercitus Gallorum præcipuè posita fuit in copiis equestribus, princeps castra movit, & sese inter vineta circumcrescentia vallavit, ubi cùm turmæ equitum Gallorum irruperant, implicati fuerunt inter Vineta & perticas, dum Sagittæ Anglorum grandinis instar emissæ equos ita pungebant, & intertrigabant, ut inde furentes, & inordinati, totus exercitus confusus, fugatus, & funditus eversus fuerit.

Sed istæc pugna non tam cruenta & ferox erat quàm Illa *Cressensis* quoad executionem; nam in hac pepercerunt *Captis* quorum maximus érat numerus; Inter quos Rex ipse *Johannes* se reddidit Captivum quem princeps adduxit secum in *Angliam*, & ut ipsi Annales Gallorum attestantur, tam mira comitate & obsequio tractabatur a Principe ut nesciret utrum *Captivus*, an liber esset; Ingens erat strages in hoc prælio; nam præter multitudinem gregariorum militum duo mille nobilium

Gal-

Galliæ ut *Froissardus* memorat, interfecti fuerunt; Et ſicut in præcedenti pugna *Creſſenſi*, Ita in hac major erat numerus *Gallorum* qui perierunt quàm univerſus Anglorum ſuperantium exercitus. Nunc profecturi ſumus ad *Agen-Court.*

Pugna vulgo dicta de Agencourt *inter* Anglos *&* Gallos.

Henricus quintus (Ille Heroum Coryphæus) Rerum jam potitus in Anglia, conjiciebat oculos verſus *Galliam* ad recuperandum Regium ſuum jus, in ordine ad quod opus, mutari juſſit *ſemililia* in ſuis Inſignibus, & inſculpi *tria lilia integra* ſicut Rex ipſe Francorum ea geſtabat; Amandabat Ducem *Exonienſem*, cum Archiepiſcopo Publinienſi & quibuſdam aliis ex ſuis proceribus in una magnifica legatione cum ſatellitio 500 equitum ad vendicandam Coronam *Galliæ*, ſed recipiens nugatorium quoddam reſponſum, nam *Dauphinus* remiſit illi ſaccum pilis luſoriis refertum doni inſtar, quod Rex ſtomachans ſubitò *Fecialem* expedivit ad denunciandum bellum; & ut *Dauphino* diceret, *Se habere loco pilarum quas miſerat, tantos globulos tormentarios ad ſuperbiſſima Galliæ Caſtra diruenda, & ſolo æquanda.*

Henricus promiſſum abſolvit; nam ſine morâ trajiciendo in Galliā cum vigoroſo exercitu, viam pate fecit uſq; ad *Agencourt* ubi Galli erant caſtrametati; Acerrima fuit & pertinaciſſima pugna; nam ad crepuſculum uſque veſpertinum magna utrinque virtute cominùs eminùs paria cæde innumeris acceptis illatiſque vulneribus dimicatum eſt: Tandem

dem placuit *Numini* completam, & gloriosissimam concedere *Anglis* victoriam, & ut in prædictis præliis, ita in isto Major erat numerus *Gallorum* qui ceciderunt, quam totus *Anglorum* exercitus; Hæc miranda pugna incepit matutino diei *Dominici*; nam Rex distulit pugnare usque ad illud tempus, cujus propositi præmiserat notitiam Angliæ ut extraordinariæ *missæ* cantarentur illo die in omnibus Ecclesiis pro fælicitate prælii. Itaque Rex in suo hortatu ad milites inter alia incitamenta dixit ut *quilibet bono esset Animo, nam universa Anglia tum fundebat preces Cœlorum Regi pro eorum incolumitate, & successu*; Rex Ipse erat Archistrategus, & frater ejus Dux *Claudiocestriæ* secundus qui ducebat Copias militares; Sed præter antedictum actum Regiæ *Pietatis* aliud *Politicum* & stratagematis instar accessit; nam ad arcendum equitum Gallorum impetum & furorem Rex in mandatis dedit quasdam ligneas perticas ferro cuspidatas longas sex pedes solo infigi ad terga Sagittariorum, & quod fossores in promptu semper essent ad eas removendas ita ut occasio postulabat, quæ Ingeniosa inventio plurimum conduxit ad frangendum impetum equitatus, in quo maxima Gallorum vis sita erat; In hoc Ingenti prælio Rex ipse adoriebatur Ducem *Alansonium*, illumque irruens evertebat usq; ad mortem.

De pugna vocata Pugna Calcarum *inter Anglos, & Gallos.*

Accedimus jam ad pugnam quam Historici vocant pugnam *Calcarum*, eo quòd *Galli* fugientes con-

confidebant magis in suis calcaribus quam in gladiis, & hastis; Hoc evenit *Henrico* Octavo Regnante in obsidione *Terrovannæ* cùm 8000 Equites Galli convolabant ovantes ad sublevandum oppidum & solvendum obsidium, sed omnes aut occisi, aut ad fugam compulsi erant post acerrimum conflictum; In hoc prælio *Maximilianus* Imperator militabat sub vexillo *Henrici* Regis, & stipendiarium se fecit, quod non potest affirmari de ullo alio Rege.

Quam plures aliæ bellicosæ dimicationes, conflictus, & prælia commissa fuerunt inter *Anglos* & *Gallos* quorum Annales pleni sunt, sed observatu dignissimum est, *Gallos* fuisse bis ad minimum numerosiores *Anglis* in omnibus belli congressibus; Tamen binas partes ex tribus occupabant Angli, illius amplissimi Regni ingenita vi & vigore suæ gentis: Legimus quod summus Pontifex cùm sedem tenuit Apostolicam *Avinone*, *Angli* in altissimo fælicitatis & potentiæ fastigio eminebant; Itaque vulgare dictum fuit seu adagium, *Ores le Pape est devenu Fransois, & Jesus Christus est devenu Anglois*, Jam Papa factus est Gallus, & Jesus Christus fit Anglus; quo stupendi gentis Anglicanæ in Re militari successus divino favente numine subinnuebantur.

Ante quàm valedicam *Franciæ*, aptissima sese offert ocasio commemorandi alium Triumphum prædicti *Principis Walliæ* ea tempestate qua gubernabat *Aquitaniam*. In priori Triumpho duxit *Johannem* Regem Galliæ captivum, In hoc restituit *Petrum* Regem Castellæ debellatum, & ex solio detrusum; Qui recurrens pro Justitia, & sup-

suppetiis ad dictum *Principem* Curiam tum temporis tenentem *Burdegala* in *Vasconia* quo *Ricardus* Rex *Navarræ*, & *Jacobus* Rex *Mallorqua* seu *Balearium* Insularum interfuerunt; Princeps autem præbuit, & manum porrexit oppresso Regi Castellæ, & cum numeroso exercitu saltus Pyreneos, & confragosa illa montium cacumina transvolans opus perfecit; nam profligando & fundendo *Fratrem* Usurpatorem, restabilivit *Petrum* in paterno solio: Pro quo Heroico facinore, & ingenti beneficio, Restauratus Rex subsequens Instrumentum, seu Diploma obsignari, & transferri voluit æternæ gratitudinis Ergô; Quod Instrumentum, quia non occurrit in Annalibus Regni, dignum duximus heic inseri, eò quòd extractum sit ab ipso Originali adhuc extante, in Thesauro Regio apud *Westmonasterium*.

Petrus *Dei gratia Rex Castellæ & Legionis omnibus præsentibus pariter, & futuris præsentes litteras inspecturis, lecturis aut auditu-ris salutem, & fidem plenariam iis adhibere.*

Cùm in largitione, donatione, & concessione privilegiorum, libertatum & franquesiarum ac honorum prærogativa Illis nos liberales, & gratiosiores reddere debeamus a quibus beneficia & honores nos recognoscimus recepisse; Cumque Illustrissimus Rex Angliæ, [& Edoardus ejus primogenitus princeps Aquitaniæ & Walliæ, Consanguinei nostri, nos & prædecessores nostros Reges Castellæ retroactis Tempori-

 bus

bus fuerint favorabiliter prosecuti, & specialiter cum nuper per Henricum quondam Comitem de Trectamare qui factâ cum quibusdam suis complicibus coadunatione Regna nostra invasit, usurpavit, & etiam ocupavit more prædonico, & hostili, & ea indebitè detinet ocupata de Regno in Regnum, & de Dominio in Dominium, & de loco ad locum ad mortem, Nos esset insecutus, a qua persecutione ad receptationem Dicti Domini Principis in Terra sua de nobis factam fuerimus liberati, & per Ipsum & Gentes suas comfortati ac honorabiliter recepti, & tractati:

Nos memores dicti accepti beneficii, & in aliqualem præmissorum recompensationem, & alias de nostra certa scientia, speciali dono, & Regia donatione, & potestate damus & concedimus pro nobis, Hæredibus, & successoribus nostris Regibus Castellæ per præsentes dicto Illustrissimo Regi Angliæ, & Edoardo ejus primogenito, & principi Aquitaniæ & Walliæ, quòd quandocunque Idem Rex, & primogenitus ejus qui nunc sunt, aut eorum Hæredes, & successores Reges Angliæ, & primogeniti eorum qui pro tempore fuerint, voluerint venire in propria persona ad Guerram quam nos habebimus, aut Hæredes nostri Reges Castellæ habebunt contra Regem Granatæ, aut alios Fidei inimicos, quod iidem Reges, & Primogeniti eorum habeant primum bellum *sive* la Delantera *ante om-*

omnes Mundi Christianos, & omni tempore. Ita tamen quod Nos possimus & Hæredes nostri Reges Castellæ si voluerimus, ponere vexilla nostra in dicto bello pariter cum vexillis Regis Angliæ, vel Primogeniti Ipsius. Item quod si contigerit dictos Reges, aut psorum Primogenitos ad Guerram quam Nos & Hæredes nostri habebimus contra Regem Granatæ, aut Alios Fidei inimicos non venire, aut nolle, vel non posse venire, volumus & concedimus quòd unum vexillum de Armis Regis Angliæ sit omni tempore in dicta guerra in primo bello, sive in la Delantera honorificè prout decet nostris, & successorum nostrorum Castellæ regum propriis sumptibus & expensis.

Item quia Patria ejusdem nostri Consanguinei plurima damna, & expensa innumerabilia sustinuit tempore quo ipse pro nostro succursu exercitus suos congregabat prout oculis propriis conspeximus, licet flebiliter gereremus, in recompensationem præmissorum, privilegiamus, volumus, & concedimus quòd omnes homines, incolæ, nobiles, peregrini, cujuscunque status, sexus aut conditionis existant, Regni, Patriæ, & dominii Angliæ, & principatus Aquitaniæ sint immunes ab omni pedagio, leuda, costuma, maletota, ceu aliis quibusque Impositionibus, Exactionibus in nostris Regnis impositis, seu in posterum imponendis. Ita quòd dicti homines

dictorum Regni, Patriæ, & Dominii Angliæ, & Principatus Aquitaniæ transeundo, morando & redeundo, per Regna nostra per mare vel per terram, Costumam, Pedagium, Leudam, Maletotam, seu quamcunque aliam Impositionem, vel Exactionem minimè solvere teneantur, nisi dicti homines causâ Mercimonii vel pro emercimiando aliquid emerint; super quo an causa mercimoniandi empta existant nec ne, per officiarios nostros, & receptorum dictorum pedagiorum stare volumus dictorum hominum juramenta de quibus rebus causa Mercimoniandi emptis non compellantur solvere, nec aliquid ultra ab iis exigatur quàm cæteri Mercatores solvere consueverunt. Et juramus ad Sancta Dei Evangelia a nobis corporaliter manibus tacta, & in verbo promittimus Regio concessiones, donationes, privilegia prædicta, & omnia & singula in præsentibus Litteris contenta tenere, complere, & inviolabiliter observare.

In quorum & singulorum Præmissorum testimonium, & ad ipsorum Majorem firmitatem, his præsentibus Nos manu propria Subscripsimus, & iisdem sigillum nostrum in pendenti duximus apponendum: Volentes, & concedentes ac etiam requirentes vos Magistrùm Johannem de London publicum Autoritate Apostolicâ Notarium quatenus ad perpetuam omnium & singulorum præmissorum memoriam vos cum præ-

præsentibus testibus subscribatis, præsentesque Literas signo vestro solito consignetis. Datum apud Liborniam Diocesi Burdegalensis die 23 Mensis 7bris Anno Dom. 1366. Præsentibus præcharissimo Consanguineo nostro Domino Johanne Duce Lancastriæ, Regis Angliæ filio ac fratre dicti principis, & Reverendis in Christo Patribus Dom. Helia Archiepiscopo Burdegalensi, Dom. Barnardo Episcopo Xancton. Johanne Electo Bathoniensi, & Wellensi Cancellario Aquitaniæ, Johanne Shandos Constabulario, & Thoma de Felton senescallo Aquitaniæ, Nigello de Loereyn Camerario dicti Principis, Balboyno de Frevilla senescallo Xancton. & aliis testibus ad præmissa.

Yo el Rey.

Ego Rex.

Et Ego Johannes de London Cler. Winton. Diocesis publicus Authoritate Apostolica Notarius undecima die mensis Februarii, anno Dom. supradicto, Indictione quinta, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Dom. Urbani divina providentia Papæ quinti anno quinto infra castrum Civitatis Baionæ in capella ejusdem castri unà cum testibus infrascriptis fui præsens quando dictus Dom. Rex Petrus promissa omnia & singula innotavit, confirmavit, & juramento suo vallavit tangendo propriis manibus suis sancta Dei Evangelia, & quando ipse præsenti-

ſentibus litteris me ſubſcriberem, & ſigillum meum apponerem conſuetum.

Teſtes qui fuerunt præſentes ad iſta unà mecum ſunt Dom. frater Martinus Lupi Magiſter Militiæ Domus de Alcantara Ordinis Ciſtern. Rogerus Dom. de la Wara, Gomeicus dicti Dom. Regis Magiſter, Paulus Gabrielis Civis Iſpalenſis. Johannes Guttern Decanus Eccleſiæ Segobien. & Magiſter Robertus Fregand Notarius Cancellarius Domini Principis Aquitaniæ & Walliæ ſupradicti.

Quibus omnibus magnum ſigillum Caſtellæ & Legionis affigebatur.

Conſultò omiſſuri ſumus egregia *Anglorum* geſta in *Armorica*, & trajiciemus *Twedam* Fluvium ad *Scotos* (Gens ſtrenua, laboris patiens & bellicoſa) Qui, quamvis ſint *Anglis* conterranei, Accolæ, & proximi vicini, tamen ſemper fuere prompti ad ineunda fœdera contra *Angliam* cum *Gallis*, quibuſcum omnia habent communia præter Agri ubertatem; ſed *Anglia* ſola ſuis viribus, & virtute nixa utroſque propulſavit vario certamine; Imò cùm *Scotia* habebat animoſos Reges, & fortiſſimos Duces Galloſque (& *Danos*) cum Illis confæderantes, & auxiliatores; tamen *Angli* diverſas victorias non minùs difficiles quam glorioſas obtinuerunt, pluresque eorum Reges duxerunt in *Angliam* captivos: Sicut conſtabit in variis bellicoſiſſimis congreſſibus inter utrumque populum.

De

De Rebus in bello gestis inter Anglos & Scotos.

Exordiemur Illa celebri pugna inter Regem *Athelstanum*, & *Scotos*, quo tempore *Dani* fœdus cum Illis inierant contra Anglos, & turmatim venerant in eorum auxilium, ita ut bis superiores essent numero militum; nihilominùs *Athelstanus* ingentem nactus est victoriam partim vi & fortitudine, partim Ingenio & stratagemate; Nam cùm ambo exercitus parati erant ad confligendum, Angli simulabant se in Fugam confusim vertere, omnes apparatus belli post se relinquentes; sed dum *Scoti* & *Dani* dividebant spolia, *Angli* circumeundo sylvosum montem qui vicinus erat, & percipientes eos Inordinatos & spoliis onustos, tanto animo & fortitudine in Illos inopinatò irruerunt, ut quadraginta mille attriti & trucidati fuerant in ipso loco, & ut *Buchanan* ipse confitetur in sua Chronologia, *Flos nobilium Scotiæ cecidit in Illo conflictu.*

Post appulsum *Normannorum* prima fax belli inter *Anglos* & *Scotos* apparuit Gulielmo Rufo regnante, quo tempore *Scotica* Gens varias fecerat Incursiones in confinia Angliæ; sed *Monbray* Comes *Northumbriæ* animosum Jussu Regio exercitum comparabat, quo funditus evertebat, exoculabat trucidabatque *Malcolmum* egregiæ Virtutis Regem cum suo Primogenito.

Tempore Regis *Stephani Thurstonus* Archiepiscopus Eboracensis mandatu Regio militares Copias instruxit contra Scotos infestantes confinia

Angliæ, & occurrens Regi in ipsa acie eum in Fugam conjecit cum internecione 10000 Scotorum.

Henrico secundo Regnante, Equites, & generosi *Eboracenses* Regio Diplomate suffulti sat potentiæ habebant resistendi Regibus Scotorum; Quorum ceperunt unum in aperto Marte, Eumque obtulerunt captivum in Angliam Trophæi instar, Quem *Henricus* secum conduxit in *Galliam* ad Illi serviendum in Re militari.

Gulielmus Rex Scotorum nudo capite portabat Gladium Homagii ergò ante *Richardum* primum Regem Angliæ coronatione ejus secunda, quando reversus fuerat post varia trophæa ab expeditione in Terra Sancta.

Edoardus primus appellatus *Malleus Scotorum* inter Historiographos, citabat *Baliolem* Regem *Scotiæ* ad jurandam Illi fidelitatem, quam submissionem dictus Rex præstitit ore tenus; Sed paulò post fugiendo ad Regem Galliæ, & redux, denuò citatus fuit ad *Bervicum* ubi comparebat (cum maxima parte procerum *Scotiæ*) & secundam submissionem præstitit Juramento prædicto Regi *Edoardo* in publicis Comitiis quæ ibi convocaverat; Sed pro majori cautela adduxit secum *Baliolem* in *Angliam*, Instituens Comitem *Bibroci* vulgò de *Surrey* proregem *Scotiæ*.

Sed hac tempestate ortus est quidam Homuncio obscuri ordinis, sed generosi pectoris, vocatus *Wallis*, qui, etiamsi Rex Baliol captivus degeret in Anglia, tamen tantam vim copiarum militarium coegit, ut Rex *Edoardus* compulsus fuerit armata manu reverti in *Scotiam*, & Victor evasit in acri

&

& truculento prælio inter Authores nuncupato pugna *Fonkirkana*, quâ ultra quadraginta mille milites gregarios, ducenti ex proceribus & generosis Caledoniæ Anglorum armis perierunt; Tum *Edoardus* triumphans Parlamentum seu Comitia convocabat in *Edinburgho* Metropoli totius *Scotiæ*, ubi omnes illius Regni Magnates qui in vivis remanserant, fidelitatem & obedientiam juramento præstiterunt præfato Regi Edoardo; Qui discessurus in Angliam mandavit sibi offerri *Magnam Chartam Scotiæ* vulgò vocatam *Ragman Roll*, quæ Illius Regni leges, & statuta continet, unà cum *nigra Cruce*, & *Sella Lapidea* in qua fatum Regni fixum esse opinantur, cum aliis Insignibus Regiis quæ portata fuerunt in *Angliam* ut symbola triumphi.

Sed paucis annis deinde interjectis alia belli occasio oblata fuit; nam quidam vocatus *le Bruce* insurrexit, & magnos ciebat tumultus qui tanti momenti erant ut *Regem Scotiæ* se appellaret *Baliole* adhuc superstite in Curia Anglica; *Edoardus* Rex extemplò numerosum comparabat exercitum sub ductu Comitis *Pembrochiæ*, qui instar fulminis irrumpens ipsa Scotiæ præcordia, profligabat dictum *le Bruce* prope *Johnstonium*; post pertinacem, & acerrimum conflictum; Sed Res apud Scotos non diu steterunt in tranquillo; Itaque Rex *Edoardus* quartam fecit expeditionem in illam rigidam Regionem, & compulit præfatum usurpatorem *le Bruce* sese in Fugam conjicere & transfretare ad *Norvegiam*; sed Heroico Rege *Edoardo primo* defuncto, & primogenito Illius *Edoardo* secundo succedente qui erat pusilli & debilis

debilis animi, le *Bruce* revertitur in *Scotiam*, & usurpabat Dominium; Tum *Edoardo* secundo a regimine deposito, Filius ejus *Edoardus* tertius (princeps ingentis animi) ascendens solium regale *Anglorum*, victricibus armis restituit *Baliolem*, & diadema Scoticum capiti imposuit, usurpatore le *Bruce* funditus everso.

Non multos abhinc annos cùm *Edoardus* occupatissimus fuerat bello cum Gallis, *David* Rex Scotus non obstante immenso illo beneficio quod *Baliol* suus prædecessor receperat ab *Edoardo*, tamen icto cum Gallis fœdere, Diversionis ergò irruit in Boreales partes *Angliæ* numerosissimo exercitu sexaginta mille pugnantibus composito; Absente Rege, Regina Uxor *Philippa* Regens Angliæ ab *Edvardo* relicta fuit, fæmina Virilis animi; Ideoque exercitum cogi jussit, & cum Archiepiscopo *Eboracensi*, proceribusque & Generosis Borealium partium adorta est *Scotos*, & acerrimè pugnatum est multo sanguine effuso. Tandem placuit Numini, quamvis Scoti essent *ter* numerosiores, indulgere *Anglis* victoriam non minùs gloriosam quam arduam; quidam decurio Anglus cui nomen erat *Copland*, regem ipsum Davidem adortus devicit, duxitque eum captivum ad Reginam, quem Illa retinuit in custodia, Regique *Edoardo* e Gallia reduci cum tantis triumphis dictum Regē *Davidem* doni instar obtulit.

Ricardo secundo regnante, Gallorum Rex misit mille Cataphractarios cum classe Sexaginta navium, & tela ad armandum duodecim mille homines in *Scotiam*; Quo ab Anglis intellecto, numerosus instruebatur exercitus, qui rapidi turbinis instar

ſtar irrumpens Caledoniam uſque ad *Dundee* reverſa eſt victorioſa.

Henricus quintus Rex Angliæ juſſit afferri ſecum *Jacobum* Scotorum Regem ad Illi concomitandum quando trajiciebat ad bellum cum *Gallo* gerendum.

Henrico octavo dominante, *Jacobus* quartus Scotorum Rex quamvis deſponſaverat ſororem primogenitam dicti Henrici, nihilominus quando occupatiſſimus fuerat bello apud Gallos, improvisè, & magno impetu dictus *Jacobus* invadebat *Angliam*; Cum Henricus certior factus eſſet, in mandatis miſit Comiti *Bibroci* ſive de *Surrey* ut exercitum extemplò appararet ad occurrendum imminenti periculo ab Aquilone(à quo omne malum) & ad diſſipandam nubem antequàm in turbinem aut tempeſtatem in Angliam irruitura, condenſaretur; Comes obſequitur & mirâ Animi promptitudine ſe ad negotium accingens, Copias inſtruit, & progreſſus in occurſum Regis Scotici (Hominis bellicoſi & jam in meridie ſuæ ætatis) Caſtra movit uſque ad Campum *Floddenſem*, ubi ambo exercitus convenerunt & conflixerunt inuſitato calore & pertinacia a Matutino uſque ad horas ſerotinas; ſed prædictus *Jacobus* qui aggreſſor belli fuerat interemptus fuit inter pugnandum, unà cum ſuo fratre Archiepiſcopo Sancti *Andreæ*, octo Comitibus, quatuordecem Baronibus, & duodecim millia gregariorum; Corpus ſeu cadaver mortui Regis allatum fuit in *Angliam*, ſed voluntate *Henrici* a Francia accerſita, noluit ut corpus humaretur ob ſuam perfidiam, ſed ut putreſceret ſupra terram in quendam parietem obtruſum.

Sol-

Solmossensis pugna non longa temporis intercapedine successit postea, in qua octo Scoti *Comites*, & ducenti ex *Generosis* capti fuerant (præter interemptos) cum ingenti numero gregariorum, ita ut quilibet miles Anglus habuit par captivorum in sua potestate, ut Historia refert.

Triginta quatuor annis prætetlapsis, eodem mense, eodem die mensis, imò eodem die hebdomadis præcisè, quod notatu dignum est, memorabilis pugna *Musselburgensis* commissa fuit inter *Anglos* & *Scotos* tempore Regis Edoardi Sexti adhuc impubis, & vix ex ephebis excessi, quod non parvo fuit Angliæ incommodo; Præfatus Dux Archistrategus fuit, & Comes *Varvicensis* Illi secundus; Præfectus maris erat Baro *Clintonius* cum Classe Sexaginta Rostrorum Navalium exercitui terrestri ad littora vicina inservientium; Integer exercitus Anglorum conflatus erat tredecem mille peditibus; mille & ducentis cataphractariis; 2500 equitibus; Sexdecem bombardis, qualibet bombarda satellitem fossorum habente; Dux cum universo exercitu terrestri attigerat confinia *Scotiæ* ad *Bervicum*; Inde per viscera regni progrediebatur usque ad *Musselburgum*; tria Castella in transitu subegit, & mira industria anfractus & difficultates viarum superabat; Exploratum est ab emissariis Scotorum exercitum bis esse numero superiorem, & quod recrescebat indies; Nam *Crux Ignea*, symbolum & Insigne Regni tum ad conscribendos milites, quàm ad concitandos animos tempore belli portata fuit a Fecialibus per omnes Terræ angulos, monendo ut omnes a Sexdecem ad Sexaginta annos ætatis in loco assignato

se

ſe redderent pro communi Patriæ incolumitate, & tutamine; Ideoque ut ipſi Scotici Annales atteſtantur, totus exercitus componebatur triginta mille pugnatoribus completè armatis; dimicatum eſt maxima vi & virtute ab utraque gente; ſed cœlo placuit Anglis favere, perfectiſſimamque iis concedere victoriam & triumphum, quamvis *Scoti* dômi eſſent, at Angli longo itinere fatigati, & a ſua patria remoti; Quatuordecem mille *Scotorum* perierunt in ipſo campo, quorum tres mille erant *Eccleſiaſtici*, Abbates & Monachi. Comes *Huntleius* cum diverſis aliis proceribus capti fuerunt, triginta bombardæ cum innumeris aliis armis ad Claſſem devecti fuerunt, & ad *Angliam* miſſi cum viginti mille loricis, & *Angli* percurrebant Regnum ſpacio quinque dierum agendo quodcunque Illis libuerat.

Concludemus victoriâ prope *Dunbar* quæ adhuc recens hæret in mente viventium; In quo prælio non niſi octo mille *Angli* apparuerunt in acie, tamen dimicarunt contra viginti quatuor mille Scotorum, inter quos præter gregarios milites diverſi proceres erant ex numero, eóſque in arte militari bene verſatos; Tres mille interempti fuerunt, decem mille capti, totus apparatus, arma, & triginta bombardas Angli ceperunt cum ducentis *vexillis* quæ devecta inde fuerunt in Angliam, & appenſa in Aula Weſtmonaſterienſi in ſignum trophæi.

Ex præmiſſis hæc concluſio deduci poſſit, quod in illis belli congreſſibus, præliis, & dimicationibus quas *Angli* habuerunt cum *Scotis* in omni ætate, *Angli* ſemper triumpharunt, excepta unâ

In-

Infausta victoria vocata *Bannocks battaile*, quam Scoti obtinuerunt tempore *Edoardi secundi* qui erat princeps non nisi imbellis & imbecillis animi, In qua *Gilbertus de Clare* Comes *Claudiocestriæ*, quadraginta Barones cum septingenta ex Angliæ Generosis interfecti fuerunt. Præterea Tempore *Henrici octavi* in uno præliolo superarunt, quo *Raphael Evers* miles auratus periit; In nuperis Angliæ tumultibus evadebant valdè insolentes, & sæpiùs invaserunt Boreales provincias; Sed Illæ *Invasiones* dici possint esse *Invitationes* potiùs quàm *Invasiones*; Nam introducti fuerunt a quibusdam vilissimi & spurii generis Anglis qui ad hoc consilium clanculò iniebant, quorum memoria putrescet in omne sæculum.

Sed *Angli* duxerunt quatuor Reges *Scotos* captos, Duos trucidarunt in aperto Marte, ademerunt Coronam Regni, & præcipua dominii Insignia, eaque apportarunt instar Trophæi in *Angliam*.

Neque perpetrata fuerunt hæc egregia facinora ab Angliæ Regibus *Terrâ* solummodò, sed *Mari* etiam non minora ediderunt gesta; victoriæ eorum Classicæ non erant minùs gloriosæ; Annales referunt *Edgarum* Regem Angliæ habere plus quam duo mille Navium, rostrorumque omnis generis, quæ solebat dividere in tres Classes, quibus circumnavigabat totam Insulam quotannis æstivo tempore ad protegendum, & purgandum Maria Pyratis, & prædonibus usque ad *Norvegiam*, Mosque Illi erat ascendere navem prætoriam in persona, & ducere ac dirigere classem ut Thalassiarcha.

Philippus Rex Gallorum paulo ante pugnam *Cres-*

Cressensem ad impediendum appulsum Regis Angliæ in Gallia, dicitur habuisse in promptu classem ducentarum Navium præter Triremes, & alia navigia; *Edoardus* tertius tunc regnans certior factus talis apparatus, instruxit aliam ingentemq; Classem quæ altum navigat in occursum Gallicæ Classis, & sole ventisque Illi faventibus funditùs evertit tremendam illam Classem cum internecione triginta mille hominum, & sic reversus est triumphans ad stuporem totius orbis Christiani.

Philippus secundus Hispaniarum Rex querelam habens contra *Elizabetham* Reginam Angliæ *Virginem*, sed diu simulabat simultatem quæ in corde latebat dum in promptu haberet tremendam Classem Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo octavo, quæ vocabatur *Armata Invincibilis*, qua in mente Illi erat deglutire totam *Angliæ* Insulam; plus quàm tres annos in apparatu erat; Conflata erat ex centum & quinquaginta navigiis omnis generis, quorum major pars erant ingentis magnitudinis quos vocabant *Galeones*; plus quàm octo mille nautas, viginti mille conscriptos milites præter voluntarios, mille & sexcentas æneas bombardas vel tormenta, cum mille ex ferro; Centum & viginti mille globos igneos quos *granados* vocant cum aliis igneis artificiis portabat dicta Classis; sumptus, & stipendia tam nautarum, quam militum quovis die erant quatuor mille coronæ auri; prodigiosa hæc Classis quæ posset appellari *Immensi tremor* Oceani solvebat ab *Vlissippoli* ventis & aere faventibus, sed petens altum, horrenda exorta

est

est tempestas quæ Illam littus repetere compulsit, quod tardabat iter per aliquot dies.

Regina *Elizabetha* cum certior facta esset ab *Henrico* quarto Rege Galliarum de hac stupenda Classe, quanto vigore & animo nervos contendebat, navabatque operam ad repellendum hostem, & protegendam suam gentem? quàm mira celeritate potens Classis instructa fuit, cum exercitu numeroso peditum, equitumque in Terrâ; quanta animi magnitudine lustrabat Illa Regia Virago sua Castra, & copias militares? Quanta Suadela, & flexanimis orationibus excitabat Illa suam gentem cum galero & pluma in capite circum equitando cohortes *Boadiciæ* instar celeberrimæ illius antiquorum Britannorum Heroinæ? Sed ingens prædicta Classis Hispanica irruens in undas & Maria Angliæ *turbinis* instar, evanuit sicut *fumus*; nam post varias pertinaces, acerrimas & igneas pugnas universa Classis cum *giganteis* illis navibus seu Galeonibus conquassata, concremata, fugata & funditùs eversa fuit inusitata fortitudine, peritia & vigore nauclerorum Angliæ; Verum est quod aliquæ Naves Hispanæ evaserunt, velificando magno circuitu versus Septentrionem, & tandem miserrimè quassæ & laceratæ appulerunt in Hispania; dico quasdam hujus *invincibilis Classis* (ut se appellabat) evasisse, & effugisse in Hispaniam, ut darent notitiam quid de cæteris actum erat.

Fusior factus sum quàm statui in hoc paragrapho; sed prolixitas illus compensata erit brevitate sequentium.

Para-

Paragraphus Quintus.

De strenua, forti & liberrima Gente Regis Magnæ Britanniæ, de mira Agri fœcunditate, & generali Terræ opulentia, &c.

EXordiemur hunc Paragraphum elegantissimo Charactere quod Illustris quidam *Italicus* Comes nominatus Il Come *Loschi de Vicenza* in suo Recenti Opere vocato *Compendi Historici* quod *Bononiæ* imprimi curavit de populo & opulentia Angliæ, cujus verba ita se habent in ipsissimis terminis.

La popolatione d' Inghilterra è innumerabile, gli huomini son disposti, & ben organizati, grandi di corpo, di faccia serena, bianca, & rubicunda, nella guerra terribili, & audaci; nelle resolutioni precipitosi, & crudeli. Le Donne riescono à Maraviglia belle, & gratiose & con la Leggiadria del vestito rapiscono I cuori. Inghilterra vanta non immeritamente titolo di Monarchia in expressione, & gieroglifico di che tiene il Rè di sotto allo scettro la palla per figura della dominatione del mondo. Non cie Potentato che con armata marittima possa appredare à liti, à quali servendo per mura l' Oceano, & per isbarico sicurissimi, & arenosi recessi non vimprontano l' orme piedi stranieri, & se ben spesso con Intestine seditioni non havesse contro le propria viscere rivolto le seditioni, & l' armi riuscirebbe indo-

est tempestas quæ Illam littus repetere compulsit, quod tardabat iter per aliquot dies.

Regina *Elizabetha* cum certior facta esset ab *Henrico* quarto Rege Galliarum de hac stupenda Classe, quanto vigore & animo nervos contendebat, navabatque operam ad repellendum hostem, & protegendam suam gentem? quàm mira celeritate potens Classis instructa fuit, cum exercitu numeroso peditum, equitumque in Terrâ; quanta animi magnitudine lustrabat Illa Regia Virago sua Castra, & copias militares? Quanta Suadela, & flexanimis orationibus excitabat Illa suam gentem cum galero & pluma in capite circum equitando cohortes *Boadiciæ* instar celeberrimæ illius antiquorum Britannorum Heroinæ? Sed ingens prædicta Classis Hispanica irruens in undas & Maria Angliæ *turbinis* instar, evanuit sicut *fumus*; nam post varias pertinaces, acerrimas & igneas pugnas universa Classis cum *giganteis* illis navibus seu Galeonibus conquassata, concremata, fugata & funditùs eversa fuit inusitata fortitudine, peritia & vigore naucleroram Angliæ; Verum est quod aliquæ Naves Hispanæ evaserunt, velificando magno circuitu versus Septentrionem, & tandem miserrimè quassæ & laceratæ appulerunt in Hispania; dico quasdam hujus *invincibilis Classis* (ut se appellabat) evasisse, & effugisse in Hispaniam, ut darent notitiam quid de cæteris actum erat.

Fusior factus sum quàm statui in hoc paragrapho; sed prolixitas illius compensata erit brevitate sequentium.

Para-

Paragraphus Quintus.

De strenua, forti & liberrima Gente Regis Magnæ Britanniæ, de mira Agri fœcunditate, & generali Terræ opulentia, &c.

EXordiemur hunc Paragraphum elegantissimo Charactere quod Illustris quidam *Italicus* Comes nominatus Il Come *Loschi de Vicenza* in suo Recenti Opere vocato *Compendi Historici* quod *Bononiæ* imprimi curavit de populo & opulentia Angliæ, cujus verba ita se habent in ipsissimis terminis.

La popolatione d'Inghilterra è innumerabile, gli huomini son disposti, & ben organizati, grandi di corpo, di faccia serena, bianca, & rubicunda, nella guerra terribili, & audaci; nelle resolutioni precipitosi, & crudeli. Le Donne riescono à Maraviglia belle, & gratiose & con la Leggiadria del vestito rapiscono I cuori. Inghilterra vanta non immeritamente titolo di Monarchia in expressione, & gieroglifico di che tiene il Re di sotto allo scettro la palla per figura della dominatione del mondo. Non cie Potentato che con armata maritima possa appredare à liti, à quali servendo per mura l'Oceano, & per isbarico sicurissimi, & arenosi recessi non vimprontano l'orme piedi stranieri, & se ben spesso con Intestine seditioni non havesse contro le proprie viscere rivolto le seditioni, & l'armi riuscirebbe inde-

indomabile, neci sarebbe potenza sopra, l' Inglese. L'aria salubre, ricchezze grandissime, li terreni fecondi, & di minerali gravidi, li pascoli abondanti & delicati, onde le lane d' Inghilterra tengono il primo luogo, gli antichi Britanni vissero Sotto li suoi Rè sino che Cassivelauno *restò soggetto du Cesare.*

Quæ descriptio facta ab uno Authore tam Recente, & indifferente Judice, a persona insuper tam Illustri prosapia & ingenio, dignum duximus heic inserendum, & in Latinum sermonem traducendum.

Populatio Angliæ est innumerabilis; Homines bene dispositi, & organizati, corpulenti; vultus sereni, albi, & rubicundi; Bello terribiles, & audaces, In suis propositis præcipites, & crudeles; Fæminæ usque ad admirationem formosæ, & gratiosæ, & elegantia vestitus corda rapiunt; Anglia non immeritò gloriatur titulo *Monarchiæ*, & Hieroglyphicum quod Rex gestat sub sceptro, subinnuit Dominationem Mundi; Non est ulla potestas quæ cum classe maritima possit littora invadere Angliæ; Oceanus Illi murus est, & nisi Intestinis seditionibus viscera laceraret, indomita foret, nec esset ulla potentia supra Anglum: Aer saluberrimus, Divitiæ maximæ, gleba fertilis, & mineriis prægnans, pascua abundantissima & delicata, unde lanæ Angliæ primum habent locum; Antiqui Britones sub suis Regibus vigebant usque ad *Cassibelaunum* quem Cæsar subjecit, *&c.*

Iste nobilissimus Author describens etiam *Galliam* & *Hispaniam*, tale encomium earum non habet,

bet, nec de ulla alia Regione, quamvis omnes perlustrat.

In confesso est, & pro catholica veritate tenetur, nullum alium Regem habere sibi subjectas nationes tam strenuas, audaces, & armis terra marique magis idoneas quam Rêx Britanniarum; subditi sunt Illi *Angli*, *Walli*, *Scoti*, *Hyberni*, multi alii Insulares populi, qui adhuc innatum suum vigorem retinent, & animum indomitum; Quod attribui possit prudentiæ politicæ, & moderationi Regiminis, quâ abundantia, & opes Regni æquali quadam distributione participantur inter Incolas. Nam & Coloni ipsi bene vestiti incedunt, & salubribus esculentis & poculentis copiosè enutriuntur; ac emolumenta quæ fœnoris instar recipiunt laborum suorum a non ingrata & generosa Gleba, ita eos ditescere faciunt, ut satis habeant quo sustentare possint Uxores, & liberos; iisque patrimonia legare quibus possint lautè vivere in posterum, quo fit ut multitudo pauperum ne crescat.

Non sic agitur in aliis Regionibus, præcipuè in *Gallia*, ubi Aratores, & Vindemiatores tanta indigentia laborant ut vix habeant unde se sustineant & commodè vestiant, armentque contra inclementiam cœli; quo quidam, qui ambas Terras ac Nationes inspexerat, voluit hæc verba proferre, quòd Coloni *Cantii* solùm quæ non est nisi una ex triginta novem provinciis *Angliæ*, sat opum habebant quibus possent emere omnes Colonos *Picardiæ* & *Normanniæ*: Talem plebem, & tale solum & latifundia Rex *Britanniarum* habet sub suo dominio; Quod induxit *Eminentem*

Authorem non incultum, in celebri illo & eloquentissimo Panegyrico quod *Constantino* Magno pronunciavit, hæc verba in laudes *Angliæ* effundere.

O fortunata, & omnibus beatior Terris Britannia quæ Constantinum Cæsarem *prima vidisti*; *Merito Te omnibus Cœli ac soli dotibus natura donavit, In qua nec hyemis est nimius rigor, nec æstatis ardor; In qua segetis est tanta fæcunditas ut muneribus utrinsque sufficiat & Cereris & Liberi; In qua nemora sine immanibus bestiis, Terra sine serpentibus noxiis, pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte distenta, & velleribus onusta; Certè quidem quod propter vitam diligitur, longissimæ dies, & nullæ sine aliqua luce noctes, dum Illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam cœli ac Syderum transit aspectus, ut sol ipse qui nobis occidere videtur, ibi appareat solummodò præterire.*

Ab ista temperie Climatis, & ubertate omnium rerum quas Aer, Aqua & Terra suppetere solent usui humano profluere possit vis & singularis vigor, vultusque alacres, & proceritas habitantium, nec non longævitas eorum; Et quòd *Natura* (sui lena) non perficiat suum cursum tam citò in humano corpore, ut Illa solet in aliis Regionibus; Nam observatum est a peregrinantibus quod Angla fæmina tam formosa, & vivida est quadraginta annos habens, quàm *Hispana*, aut *Gallica* mulier habens non nisi viginti quinque; Nam commune est ut sint semper prægnantes,

nantes, & prolificæ usque ad annum quinquagesimum, & ultra; Quod ad *Viros* spectat, non minus quàm miraculum foret in *Gallia* aut *Hispania* reperire decem homines (inter se invicem) mille annorum ætatis, sicut repertum fuit in *Herefordia* Civitate ad confinia *Walliæ* sita intra circuitum duorum milliarium Urbis, qui in una publica saltatione seu Chorea, sexaginta annis jam transactis, tam vigorosi & vivaces erant, quod in Foro Saltabant secundum modum *Maurorum* pluribus horis; *Fœmina* etiam centum & tres annos saltabat cum tympanista & Fistulatore centum & quinque annos habente.

A copia, & fertilitate Terræ possit etiam procedere singularis animositas, & fortitudo gentis, quæ sæpenumero experta fuit domi forisque, ut præcedentia exempla in quarto Paragrapho abunde attestantur in diversis pertinacibus & arduis certaminibus; In quibus *Angli* erant ter inferiores hosti numero pugnantium; & tanta eorum fama, seu potiùs terror percrebuit in *Gallia*, quod, ut ejus Annales referunt, quando Dux *Armoricæ* prælium habiturus erat cum Gallorum Rege, consultò vestiri jussit unam Cohortem Gallicam more Anglorum ut formidabiliores apparerent Inimico.

Nec adhuc languescere videtur iste nativus valor, sicut alia omnia solent inveterascere in hoc sublunari mundo, & secundum opinionem quorundam sicut ipse mundus flaccescit; dico hunc innatum vigorem nondum languescere in *Anglis*, sicut in aliis populis ut in *Judæis* ac *Græcis*, &c. Sed adhuc durat & viget in eodem animi gradu;

ſicut apparuit in anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo contra ingentem illam Claſſem Hiſpanorum per mare, ut ante dictum fuit; nec non in variis modernis conflictibus bellicis auxiliantes *Batavis* per terram, ut in Illo *novi Porti* & alio ante *Ghentam*, &c. nec minùs in nuperis tumultibus Civilis Belli in *Anglia, Scotia*, & *Hibernia*; Dii Immortales, quanti congreſſus & dimicationes bellicæ intervenerunt! plures commiſſæ fuerunt in tribus annis quàm committebantur in *Belgia* inter Hiſpanum & provincias confæderatas ſpacio octoginta annorum, ut plurimi veterani milites qui illo Bello interfuerant aſſerebant; quam multa facinora egregia edidit Ille uſurpator *Cromwellius*, quia nunquàm Illi defuit *pecunia* quæ eſt nervus Belli, ita ut *Gallus, Hiſpanus, Suecus*, & *Batavus* contendebant quis cum eo primus iniret fœdus! Quàm pertinax pugna acceſſit inter eum & Scotos in campo *Dunbarienſi*, quanta acerrima prælia maritima inter eum & *Batavos* qui tandem colliſi fuerunt in pacem; Quàm difficile & periculoſum facinus commiſſum fuit terra marique prope *Tunetum* in Mauritania! Sed præcipuè Illud ſtupendum geſtum in Inſulis Atlanticis a *Blago* qui tum præfectus erat Claſſis Anglicanæ! Rex Galliæ agnovit, quod manipulus ille Anglorum qui erant in ſuo exercitu ſub ductu *Morgani* audacis illius *Britanni* in poſtrema obſidione *Dunquercana* maxima fuit cauſa capiendi oppidum tam munitum, & quaſi inexpugnabile, victoriamque tam inſignem obtinendi. Rex etiam *Luſitaniæ* qui nunc viget, recognovit litteris ſuis recentibus ad Regem magnæ *Britanniæ* quod paucæ

illæ

illæ *Anglorum* cohortes qui interfuerunt nuperrimæ pugnæ contra Hispanorum Aciem sub conductu Domini *Johannis* de *Austria* prope civitatum *Eboræ*, præcipua fuerunt Instrumenta hostem repellendi, & profligandi, victoriamque tam difficilem adipiscendi; Qui *Angli* primi monstrabant viam hostem adoriendi, feriendi, & pessundandi manubriis sclopporum globo igneo seu pila tormentaria jam emissa in pugna, quod imitando, tam *Galli* quàm *Lusitani* clamabant alta & stridula voce *Hagames como los Ingleses*, faciamus sicut Angli.

Sed progrediamur ad Sextum Paragraphum.

Paragraphus Sextus.

De Antiquissimæ stirpe, prosapia, & continuata serie, seu Regali Stemmate Regum Britanniarum, &c.

STemmata Regum assimilari possunt magnis Fluminibus qui in plurimos alveos, canales, seu brachia diffluere solent, quæ tacito suo cursu tractu temporis & Ipsa fiunt flumina; vel sicut Ingentes *Arbores*, quæ ramos suos ultra mare extendunt ad Oras extraneas, Ubi cum inserti sunt, & inoculati ut aiunt, plures alii Regales arbores ex illis germinare solent in exteris Regionibus; plurimæ transplantationes sive Inoculationes hujus generis factæ sunt a Regibus magnæ Britanniæ, quarum nonnullæ erant *Imperiales*;

prima fuit inter *Constantinum* & *Helenam* filiam *Cœli* Britonum Regis, & matrem *Constantini* Magni qui primus omnium erat *Christianus* Imperator. Nam Insula *Britannica* tanti æstimabatur a Romanis Imperatoribus, quod etiamsi Orbem Terrarum quasi Ipsis subjectum habuerint, tamen residere voluerunt in Britannia (ob clementiam Cœli, & dulcedinem Terræ) quorum Imperator *Severus*, & *Constantinus* extremum clauserunt diem *Eboraco*, quæ Civitas de duabus excellentiis gloriari possit, quod duo *Cæsares* in ea *Sepulti* fuerunt, & unus *natus*, viz. *Constantinus* Magnus.

Post appulsum *Anglorum* qui ab Inferiori circulo *Saxoniæ* advenerant in *Britanniam*, plurimæ ancipites, & atrocissimæ pugnæ commissæ fuerunt inter Antiquos *Britones*, & Illos; Tandem divisione facta Terræ, & pace stabilitâ Insula refloruit sub diversis Illustrissimis Regibus, qui exteras Regiones gloria sui nominis implentes, fœdera, nuptias, & affinitates contraxerunt cum potentioribus Europæi Orbis Monarchis; Rex *Ethowolphus* filius *Egberti* Anno 830 ducebat *Juditham* ob egregiam suam formam vocatam *Pulchram* κατ' ἐξοχὴν, quæ Filia erat Imperatoris *Caroli Calvi*, cujus Avus erat *Carolus Magnus*; Imperator *Otho Magnus* pro sponsa habuit sororem Regis *Athelstani*, cujus Amicitia petita fuit donis ab exteris Regibus missis, quod induxit Regem *Gallorum* ei mittere *Gladium Constantini* magni in cujus pomo inclusus erat unus clavorum Cruci *Domini* infixus. *Hastam* insuper *Caroli Magni* pro dono Illi mittebat; Rex *Norvegiæ* dedit

Illi

Illi exquisitam Navem aureis laminibus inductam, cum sericis velis, aliisque artificiis adornatam; *Otho* Imperator Vas aureum cui pretiosi lapides inhærebant ei misit, cum variis Imaginibus & Insignibus decoratum, *&c.* *Ricardus* secundus *Anglorum* Rex pro Uxore habuit Dominam *Annam* Filiam Imperatoris *Caroli Quarti*; Inter *Britanniarum* Reges & *Gallos* octo fœdera matrimonialia contracta fuerunt (præter Illa *Scotiæ* cum Gallis) Primum erat Anno Domini noningento inter *Carolum* primum Francorum Regem, & Doninam *Oginen* Edoardi regis Angliæ filiam, cujus Avus erat *Alfredus*, mirandus Ille Rex quem Annales memorant ob plurima heroica gesta; Nam post diuturna & atrocia prælia debellabat *Danos*, Insulamque ab iis penitus liberabat; Erigebat celebrem *Oxoniensem* Academiam; Et primus erat qui Regnum in provincias seu comitatus dividebat; Diemque solebat naturalem dividere in tres partes, in octo horas pro recreatione, pro somnio, & exercitiis ad sanitatem corpoream pertinentibus; octo horas pro divinis meditationibus & contemplatu Rerum cœlestium, & alias octo horas in Concilio, & publicis Regni negotiis impendebat; Fundabat *Wintoniensem* Ecclesiam, Abbatiam *Shaftsburiensem*, & Monasterium de Eldinsey, *&c.*

Secundum fœdus matrimoniale cum Gallia accessit inter *Henricum Tertium* Anglorum Regem, & Dominam *Margaritam* Filiam *Ludovici* septimi Regis Gallorum.

Tertium inter *Edoardum* primum, Regem *Angliæ* (Illum sui temporis *Heroem*) & Dominam

Mar-

Margaritam Filiam *Philippi* Gallorum Regis cognominati inter Annales *le Hardy*.

Quartum matrimoniale fœdus initum fuit inter *Edoardum* secundum Regem *Angliæ*, & Dominam *Isabellam* primogenitam *Philippi Pulchri* (vulgò le *Bell*) matrem Edoardi Tertii *Anglorum* Regis qui materno Jure vendicabat, & suo gladio deferebat in Angliam Coronam Galliæ cum filiis.

Quintum contractum fuit inter *Ricardum secundum*, Angliæ Regem, & Filiam *Caroli* Sexti *Francorum* Regis; sed secunda Illi Uxor fuit; nam prima erat Domina *Anna* Imperatoris Caroli Quinti Filia, ut superiùs dictum fuit.

Sextum Fœdus sponsalitium initum erat inter *Henricum Quintum*, Regem *Anglorum* (cujus Filius *Henricus Sextus* coronatus fuit *Rex Galliæ Parisiis*, & procerum consensu *Parisiis* habito) & Dominam *Catherinam* aliam *Caroli Sexti* Francorum Regis Filiam.

Septimum erat inter *Ludovicum duodecimum Galliæ*, & Dominam *Mariam* secundam *Henrici Septimi* Filiam Anglorum Regis.

Octavum fœdus sponsalitium, seu *Inoculatio* inter *Rosas* & *Lilia*, facta est inter *Carolum primum Regem Magnæ Britanniæ*, & Dominam Henriettam de Bourbon, Filiam *Henrici Magni Francorum*, & *Navarræ* Regis; In quibus matrimoniis Anglia habuit sex Galliæ Filias, & Gallia duas Regii stemmatis Angliæ.

Virtute quarti Matrimonii inter *Edwardum* secundum & Dominam *Isabellam Philippi Pulchri* primogenitam, *Edoardus Tertius* qui Filius ejus major

major natu Hæres erat Coronæ Gallicæ, & vendicando suum Jus per suos Legatos, responsum fuit, *Que la Couronne de France n'est pas liée a la quenoville*, Quod Corona Gallica non alligata erat *Colo*, responso hoc ad Edoardum allato extemplò replicuit, *Tum alligaturus sum coronam Galliæ meo Gladio.* & persolvit promissum armis victoriosis; nam Redux in Angliam Coronam Gallicam cum Liliis insculpti fecit suo gladio. Attamen *Henricus Quintus* successor ejus in solio Regni strictius dictam Coronam ligabat octoginta annis interlapsis. Nam reduxit Carolum Sextum ad tales Rationis terminos, quòd post obitum *Caroli Henricus* Angliæ occuparet Coronam & Regnum Angliæ, & interim *Dauphinus* qui tunc prætendebat Coronam, deponeretur, & durante vita Caroli Henricus Regens Regni crearetur; & assumeret in matrimonium prædictam Dominam Isabellam Regis *Caroli* Filiam; Quæ pacta & Capitulationes non solùm Rex sed Pares & proceres Galliæ pro Re rata habuerunt, confirmando eas solemnibus Juramentis supra sacrosanctum codicem Evangelii, & sese obligando ulteriùs ad assistendum, & defendendum *Henricum* Regem cum suis legitimis Hæredibus & successoribus contra *Dauphinum* quem suus pater cum *Parium* consensu deposuerat.

Sed His transactis *Henricus quintus* obiit in Gallia (obitus maximè immaturus tanto Heroi) & primogenitus Illius *Henricus Sextus* solemniter proclamatus, edictus, & promulgatus fuit Rex *Angliæ* & *Galliæ Parisiis*; In quo publico edicto *Anglia* præferebatur *Galliæ*; Tum demum omnes officiales

Margaritam Filiam *Philippi* Gallorum Regis cognominati inter Annales *le Hardy*.

Quartum matrimoniale fœdus initum fuit inter *Edoardum* secundum Regem *Angliæ*, & Dominam *Isabellam* primogenitam *Philippi Pulchri* (vulgò le *Bell*) matrem Edoardi Tertii *Anglorum* Regis qui materno Jure vendicabat, & suo gladio deferebat in Angliam Coronam Galliæ cum filiis.

Quintum contractum fuit inter *Ricardum secundum*, Angliæ Regem, & Filiam *Caroli* Sexti *Francorum* Regis; sed secunda Illi Uxor fuit; nam prima erat Domina *Anna* Imperatoris Caroli Quinti Filia, ut superius dictum fuit.

Sextum Fœdus sponsalitium initum erat inter *Henricum Quintum*, Regem *Anglorum* (cujus Filius *Henricus Sextus* coronatus fuit *Rex Galliæ Parium* & procerum consensu *Parisiis* habito) & Dominam *Catherinam* aliam *Caroli Sexti* Francorum Regis Filiam.

Septimum erat inter *Ludovicum duodecimum Galliæ*, & Dominam *Mariam* secundam *Henrici Septimi* Filiam Anglorum Regis.

Octavum fœdus sponsalicium, seu *Inoculatio* inter *Rosa* & *Lilia*, facta est inter *Carolum primum Regem Magnæ Britanniæ*, & Dominam Henriettam de Bourbon, Filiam *Henrici Magni Francorum*, & *Navarræ* Regis; In quibus matrimoniis Anglia habuit sex Galliæ Filias, & Gallia duas Regii stemmatis Angliæ.

Virtute quarti Matrimonii inter *Edwardum* secundum & Dominam *Isabellam Philippi Pulchri* primogenitam, *Edoardus Tertius* qui Filius ejus major

major natu Hæres erat Coronæ Gallicæ, & vendicando suum Jus per suos Legatos, responsum fuit, *Que la Couronne de France n'est pas liée a la quenoville*, Quod Corona Gallica non alligata erat Colo, responso hoc ad Edoardum allato extemplò replicuit, *Tum alligaturus sum coronam Galliæ meo Gladio*: & persolvit promissum armis victoriosis; nam Redux in Angliam Coronam Gallicam cum Liliis insculpti fecit suo gladio. Attamen *Henricus Quintus* successor ejus in solio Regni strictiùs dictam Coronam ligabat octoginta annis interlapsis. Nam reduxit Carolum Sextum ad tales Rationis terminos, quòd post obitum *Caroli Henricus* Angliæ occuparet Coronam & Regnum Angliæ, & interim *Dauphinus* qui tunc prætendebat Coronam, deponeretur, & durante vita Caroli Henricus Regens Regni crearetur, & assumeret in matrimonium præ dictam Dominam Isabellam Regis *Caroli* Filiam; Quæ pacta & Capitulationes non solùm Rex sed Pares & proceres Galliæ pro Re rata habuerunt, confirmando eas solemnibus Juramentis supra sacrosanctum codicem Evangelii, & sese obligando ulteriùs ad assistendum, & defendendum *Henricum* Regem cum suis legitimis Hæredibus & successoribus contra *Dauphinum* quem suus pater cum *Parium* consensu deposuerat.

Sed His transactis *Henricus quintus* obiit in Gallia (obitus maximè immaturus tanto Heroi) & primogenitus Illius *Henricus Sextus* solemniter proclamatus, edictus, & promulgatus fuit Rex *Angliæ* & *Galliæ Parisiis*; In quo publico edicto *Anglia* præferebatur *Galliæ*; Tum demum omnes officiales

officiales Coronæ, & nobiles Juramentum Fidelitatis & obedientiæ Henrico præstiterunt; Qui nobiles perjuri, & Apostatæ postea facti sunt, & *Dauphino* adhærebant.

Contra Jus Edoardi Tertii ab *Isabella* hærede *Philippi le Bell* lex Salica allegata fuit, quam voluerunt confirmare textu sacræ scripturæ, *viz. Lilia non nent*, &c, Sed quamvis Rex *Edoardus* Illam Legem confregit victricibus armis, tamen non omninò abrogata erat; Nec revera posset hoc fieri; Nam non erat aliud quàm figmentum, lex quædam chymerica vel Imaginaria; Et *du Haillan* Author non minus Celebris quam Authenticus, & *Gallus* natione, aliam Illius non habere videtur opinionem; Scriptores qui ejus maximi erant Defensores recognoscunt quòd in principio non erat nisi quædam particularis Topica Lex condita apud *Salem* obscuram Villam ad ripas Rheni positam, & peculiarem Illi loco, sed postea voluerunt Illam extendere per totam *Galliam*; Ac si lex vocata *Gavelkind* quæ pertinet solùm ad Comitatum *Cantii* in *Anglia*, juberetur valorem habere per universum Regnum; sed non desunt Aliqui qui negant Illam Legem *Salicam* habere *essentiam*, aut editam fuisse in loco prædicto prope Rhenum Fluvium; Quapropter eadem responsio possit dari Assertoribus *Salicæ* Legis, quæ semel exhibita fuit a *Venetis* pontifici *Romano* quando contentio orta est de dominio Maris alluentis oras *Ancona*, quod allegatum fuit pertinere ad *Gurgitem Adriaticum* cujus *Veneti* habent dominium, *Papa* percunctans quod statutum Veneti possent producere ad hoc proban-

bandum, responderunt hoc *Sarcasmo*, *Quod si sua Sanctitas vellet producere Instrumentum quo Constantinus Magnus donabat* Civitatem Romæ suis prædecessoribus, in dorso Illius Instrumenti inveniret donum quod factum erat Venetis Dominii Gurgitis Adriatici; unde inferebatur quod nec unum, nec alterum Instrumentum reperiri posset; Idem possit affirmari de Lege *Salica*.

Præterea antedictus *du Haillan* in primo suæ Historiæ tomo Illam Legem planè confutat; confirmatum etiam est testimonio Ducis *Burgundiæ* talem inter Gallos nunquam legem extitisse, qui cum *Philippus Longus* coronatus erat Rex, clamavit alta voce contra Coronationem, affirmans Regnum Galliæ pertinere tunc temporis ad Dominam *Janam Ludovici Hutini* Regis Galliarum præcedentis Filiam, sed ad imponendum Duci silentium *Philippus* transtulit instar Doni Ducatum Burgundiæ pro dote suæ primogenitæ.

Verùm, quod ad Titulum & Jus *Henrici Quinti* Regis Anglorum attinet, quod corroboratum fuit solennibus pactis, & Sacramentali juramento, Rex Francorum aliam repperit evasionem; Nam suggestum fuit Regnum Franciæ non descendere jure Hæreditario, sed successione, quòd non fundatur ulla *lege* sed *usu*; Quo fit ut proximus stemmati Regio admittitur non ut *Hæres* legitimus, sed ut *successor* secundum usum Terræ introductum ab Ipso Regi *Pharamondo*; At ista nova objecto refellitur etiam a præfato *Du Haillan* insigni Historiographo, & natu *Gallo*; nam longum recenset Catalogum Regum Galliæ qui Coronam adepti sunt non *successione*, sed *suffraganeâ Electione*.

Alte-

Alterum urgetur argumentum, quòd *Carolus Sextus* qui contractum illum inivit cum Henrico Rege Angliæ, erat impos mentis & lunaticus, quamvis aliquando haberet *lucida quædam intervalla*; Respondetur huic objectioni, quod eò tempore quo illud Instrumentum signavit, & transtulit ad Henricum, habuit lucidum intervallum; nam sanæ mentis & memoriæ erat ut Testes affirmant; præterea, plurimi Parium, & procerum Galliæ cum Jurisperitis erant præsentes, qui non solùm assensum suum dederunt, sed Juramento se astringebant ad observandas singulas capitulationes.

Tertium allatum fuit argumentum, quod majorem fecit strepitum, *viz.* Quod Rex Galliarum non potest alienare Jura, prærogativas, titulum, & Reditus Coronæ absque suffragio & assensu conventionis Trium statuum Regni in Comitiis publicis ad id aggregatis, quod non factum est tunc temporis, eo quod magna pars Parium, Magnatum, & Procerum cum Aliis qui interesse debuerant absentes erant; Huic respondetur objectioni, Quòd in Titulis qui dependent a pluralitate suffragiorum, necessarium non est ut omnes sint præsentes, sed ut major & melior eorum pars intersit, præsertim si post debitam Citationem venire recusent; Nam quamvis negotium quod omnes tangit ab omnibus approbari debeat; Tamen, ut Jurisperiti docent, si major pars eorum quos tangit negotium, conveniat, absentia reliquorum non potest esse præjudicio stipulationi contractus; Et observatu dignum est quod in Magno negotio inter duos potentes Reges, Illi qui

qui absentes erant declarati erant Criminales læsæ Majestatis, & perduelles *Carolo Sexto* tum regnanti; nam non solùm noluerunt præstare obedientiam suis mandatis & Citationibus, sed gerebant Arma contra eum, & conjuncti erant cum *Dauphino* qui declaratus fuit Rebellis adversus patrem; Quapropter eorum absentia non poterat ullo modo præjudicio esse Validitati tam solennis contracti a quo dependebat pax vel bellum inter duas tam potentes Nationes.

Quarta objectio plus pusillanimitatis quàm ponderis præ se ferre videtur, *viz.* Quod quando Ille contractus, & stipulatio facta fuit, *Angli* subegerant majorem Galliæ partem, & quòd rex intrusus erat in angulum Regni; Ergo quodcunque contraxerat, vel stipulaverat metu, asperitate, & compulsu actum fuit: Itaque pactum fuit violentia extortum, ut res transacta & concessa a quodam Incarcerato, quam non obligatus est exequi ad suum damnum quando liber evadit, eo quòd quando negotium transactum fuit & promissum factum, non erat *Liber Agens*.

Huic respondetur objectioni, quod aliter se Res habent inter supremos principes, quam inter privatos homines. Inter hos si aliqua lis contigerit, processus secundum canones legis formari possunt, & subsellia Justitiæ semper aperta sunt cum Judicibus ad dirimendam litem, & determinandum negotium; Sed inter Reges, processus loco, bella & prælia, destructio & mors, sanguis & incendia, depopulationes & desolationes cum interitu myriadum humani generis Insequuntur. Quapropter cum Aliquis Rex Favente numine, &

sui

ſui Ipſius valore, exponendo vitam periculis tam imminentibus, conſumendo ſuam gentem, & ærarium, poſt tantos labores, ærumnas, & diſcrimina conjecit hoſtem in anguſtias, & decreto Cœli, juſtitiaque ſuæ cauſæ victoriam adeptus eſt, omnes Juriſperiti unanimiter concurrunt in hac ſententia, conſentaneum eſſe rationi, ut Ille Rex utatur ſua victoria, & ſucceſſibus, fruaturque Illorum beneficio, reducendo Inimicum ad terminos quos Illi libuerit; Et quod tum pactum fuerit, ſtipulatum, & juratum, exactè obſervari debet ab ambobus regibus; aliter diſcordiæ, & bella forent irreconcibilia, & infinita.

Jam vero Ipſi Galli Hiſtoriographi agnoſcunt quod ſitum erat in poteſtate Henrici Regis Anglorum (& legitimus Hæres Coronæ Gallicæ) devaſtare, & deſtruere univerſum Regnum in Illa temporis & fortunæ conjunctura, & cepiſſe ipſam Regis perſonam, vel Illum e Gallia ejicere; Sed tam mira moderatione uſus eſt victoria, quod permittebat eum ſemper gaudere Regno durante vita, & deſponſando Filiam, capacem eo modo Illius ſtirpem reddit hæreditare ambo Regna tam Galliæ, quam Angliæ unà cum Dominiis annexis; Hinc quidam Authores obſervarunt quod Angli in omnibus ſuis contractis, & ſtipulationibus ſolent eſſe moderati, manſueti, juſti, humanitatis pleni & quadrati; ſed Galli verſatiles & ſubdoli, inhumani, & inſultanter aſperi, quandocunque Fortuna Illis propitia fuit; Ideoque in dubium vocari poſſit utrum *Arma* Anglorum, an *Ingenia* Gallorum fuerint acutiora.

Adhuc reſtat aliud argumentum quod Galli ob-

objiciunt, & in quo gloriantur, *viz.* Quod non penes erat *Carolum Sextum* secundum leges Terræ deponere, vel disinhæritare suum primogenitum, eò quod indubitatus & apparens ut dicunt hæres Coronæ erat; Respondetur, nec ipsum Carolum Sextum fuisse *Jure* Regem Galliæ, nec Dauphinum suum primogenitum, Hæredem; nam a tempore *Edoardi Tertii* Angliæ omnes Galliæ Reges erant Usurpatores, Reges erant de *Facto*, non de *Jure*; Præterea plurima possunt adduci exempla, quibus constat, nonnullos Regum Galliæ primogenitos depositos fuisse a successione; Nam Legimus *Robertum* fecisse *Henricum* suum filium secundum Regem Franciæ, deponendo Robertum filium natu majorem, cui Ducatus Burgundiæ datus fuit pro compensatione; *Ludovicus le Gros* Rex Galliæ cum assensu Parium, & Comitiorum fecit *Ludovicum* suum Filium secundum Regem Franciæ, transferendo Maiori Comitatum de *Dreux*. Dagobertus fecit Clodoveum suum secundum Filium Regem Franciæ deponendo Sigisbertum Filium primogenitum.

Fusior evasus sum quam proposui in disceptatione immensi hujus negotii inter ambo Regna, sed consultò factum est, quia conducit ad principalem scopum hujus operis quod de præcedentia Regum agit; Procedemus jam ad imponendum finem huic paragrapho qui tractat de Antiquitate, & continuata serie Regum Britanniarum.

Arbor Genealogica Regum Insulæ Magnæ Britanniæ sicut aliarum Regionum habet diversa stemmata; primum fuit antiquorum *Britonum* qui nunc vocati sunt *Walli*, qui tantæ antiquitatis

G sunt,

ſunt, ut dici poſſint eſſe coætanei Ipſi Inſulæ, &, ut quidam autumant, antequàm Inſula fuit; nam non deſunt qui opinantur eam fuiſſe partem *Continentis*, vel ſaltem peninſula *Galliæ* annexa Iſthmo ſeu promontorio ſe a Dorobernia ad Boloniam extendenti; Nam Rupes utriuſq; littoris videntur eſſe ejuſdem coloris & formæ ac ſi exciſæ eſſent a ſe invicem.

Ante quam Romani Britannicas Oras invaderant & quietas ſedes ibi invenerant, quod contigit poſt innumeras clades & pertinaciſſima prælia ob validiſſimam oppoſitionem & impetum quem Incolæ fecerunt qui pro patriæ defenſione & incolumitate dimicabant ducentis annis (quum Galli decem annorum curriculo fracti & ſubjugati fuerint) dico, quod ante quam Aquila Romana ibi ungues fixerat, Sexaginta & quinque Reges Britannico ſanguine oriundi enumerantur; Sed Illo ſtemmate interrupto a Romanis circa 400 annos, & Inſulâ ab Illis liberatâ, nonnulli ex antiqua Britonum Regum proſapia inventi fuerunt, qui ſolium aſcendebant, quorum multi evadebant valde celebres, ut *Uter-Pendragon* & *Arthurus* ejus Filius Heroumque Chriſtianorum primarius, qui militarium equitum *Tabulæ Rotundæ*, tantùm a ſcriptoribus celebratæ, erat primus Inſtitutor; Et hoc ſtemma Regum Britannicorum durabat uſque ad Regem *Cadwallader* in æra 689, qui Saxonum ſeu Anglorum Imperio ceſſit; Tamen plurimi principes Britanni ſemper dominabantur in parte Inſulæ, ut inter alios *Howell* cognominatus *Bonus* ob ſuas egregias virtutes, & Juſtitiam; nam celeberrimus erat *Legiſlator*; dico,

va-

varios principes ex antiquis Britannis adhuc duraſſe uſque ad tempus *Edoardi primi* quo Regnante *Leolinus* Britannorum principum ultimus interfectus fuerat in bello, & capite ejus ad *Edoardum* allato, in mandatis dedit ut corolla hedera coronaretur, declarando quod plus fortitudinis expertus fuerat in *Wallis* quam in *Scotis*; nam varias dimicationes & pugnas bellicoſas commiſerat cum ambabus nationibus; Sed prædicto Rege *Cadwallader* in Acie occiſo, & ſtemmate *Britonum* iterum interrupto, refloreſcere cepit in *Oeno Tewder* miſto ſanguine cum *Anglis* qui erant populus *Inferioris Saxoniæ*, ideoque vocati *Saxones* a *Wallis* & Hybernis uſque ad hunc diem, longo annorum intervallo *Heptarchia* fuit inter Anglos, ſed Rex *Egbertus* reduxit Inſulam *Monarchiam*, & Ille erat primus qui ſe nominabat Regem Angliæ.

Anglorum etiam ſtemma duas (ſed breves erant) recepit Interruptiones; primam a *Danis* quorum tres Reges dominabantur non niſi curriculo viginti quinque Annorum; Secundam a Gulielmo Normannorum Duce, & Illa Interruptio durabat quadraginta annis uſq; ad *Henricum* primum qui pro Regina ſua deſponſabat Dominam *Matildam* Filiam *Malcolmi* Regis Scotorum a Domina Margarita ſorore *Edgari Atheling Anglo* principe ad evitandum *Normannorum* furorem, quo ſponſalitio *Matildæ* prædictæ ſtemma Regii ſanguinis *Anglorum* reſtitutum fuit.

Tum demum mirâ divinitùs providentiâ Britannicum ſtemma octingenta annorum ſpacio interruptum, reſtauratum fuit ab *Oeno Tewder* a prædicto Rege *Cadwallader* oriundo, ſecundum

exactum a Fecialibus scrutinium factum; Nam præfatus *Oenus* desponsabat Dominam *Catherinam*, & erat *Avus* Henrici Septimi, ab Illo tres Reges & duæ Angliæ Reginæ ortæ sunt directa linea, *viz.* Henricus Septimus, & Octavus, Edoardus Sextus, Regina Maria, & *Elizabetha*, quibus omnibus cognomen erat *Tewdor*.

Tum intravit Regium stemma *Scotiæ* a Domina *Margarita Tewdor* primogenita Regis Henrici septimi quæ erat prima strips *Rosarum albæ & rubræ*.

Jam verò debitâ præmissorum factâ computatione constabit, quod Fons & series Regii sanguinis *Angliæ* mille annis & plus duravit, si stemma tam Britonum quàm Anglorum respiciatur; Et si à Rege *Cadwallader* procedemus ad Reges Britannos antequam *Romani* interruperunt successionem eorum, constabit quod a primo Rege ad præsentem, qui viguerunt in Insula Britannica, tres mille anni sunt elapsi, quod affirmari non possit de ullo alio Europæ Regno.

Præterea stemma Regale *Scotiæ* incorporatum fuit in *Britannico* ducentis & plus annis anteactis; nam mater primi Regis oriundi a prosapia *Stuarti* ex *Britannia* erat.

Et sicut Catalogus est centum & triginta novem Regum tam *Britonum* quàm *Anglorum*, Ita in *Scotia* centum & decem Reges enumerantur a *Fergusio* usque ad *Carolum* secundum jam regnantem; Quum inter Gallos *Philippus* decimus quartus qui nunc dominatur non sit nisi Sexagesimus quartus Rex post quatuor stemmata; Neque duraverunt Reges Galliæ in ullo stemmate plus quam trecen-

tis

tis annis, sed propago extincta fuit ; Stemma *Valesium* in Domina *Margarita* prima Henrici Quarti Uxore periit ; Et Rex Ludovicus impræsentiarum Regnans non est nisi tertius a stemmate Borbonio oriundus.

Hispaniæ minor causa est ostentandi ; nam antiquissima propago Illius Regum non excedit Sexcentos annos, deducta a *Comitibus Castellæ*, nec extitit ullus Rex Castellæ usque ad æram 1017 ; Quod ad stemma *Austriacum* spectat, Regium factum est non nisi trecentis annis præterlapsis.

Ut Colophonem addam huic Paragrapho, præsens Rex *Britanniarum* quantum ad extractionem attinet, est maximus prosapiâ princeps quem ulla ætas possit producere ; Nam quum Avus, paterque agnati erant solummodo stemmati *Holsteniæ*, & *Lotharingiæ*, *Carolus secundus* qui nunc *Angliam* moderatur respectu habito ad exteram consanguinitate, in venis habet sanguinem non solùm illorum principum, sed omnium aliorum regiarum stirpium totius *Europæ*; nam agnatus est stemmati Burbonio, & Galliæ; *Austriaco* etiam, *viz.* Imperatori, & Regi *Hispaniarum*, nec non Ducibus *Subaudiæ*, & *Hetruriæ* materna parte ; præterea consanguinitate affinis est Regi *Daniæ*, Ducibus Saxoniæ, & Brandenburgensi, nec minus Duci Bavariæ, principi Palatino ad Rhenum, & Auriaco etiam principi, *&c.*

Acceleramus nunc ad septimum Paragraphum,

Paragraphus Septimus.

De Hospitalitate, affluentia, & lautitia Curiæ seu Aulæ Regis Britanniarum, numeroq; Officialium, & magnificientia ministerii, &c.

SOlenne est *Latinis* aliisque Authoribus laudes Magnæ Britanniæ effundere; & multiplicia passim inveniuntur elogia Illius; sed audiamus quod *Græcus* quidam Poeta cantat de ea;

——οὐδέ τις ἄλλη
Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρεταννίσιν ἰσοφαρίζει.

Nulla alia Insula quæcunque Illa sit cum Britannia audet concertare.

Inter alia Illius encomia multùm extollitur pro sua miranda fœcunditate, & plenitudine omnium rerum quæ ad sustentationem & voluptatem humani generis requiruntur, omnium rerum quas Aer, Aqua vel Terra possunt suppeditare. Quod, post divinam benedictionem, attribui possit temperiei climatis, & Cœli circumambientis astrorumque clementiæ; Maria etiam circumfluentia mites emittunt auras, quarum afflatibus omnia genera animalium tam brutorum quàm rationalium recreantur; Nubes ipsæ guttant desuper pinguedinem, dissolvendo in argenteos & uligineos Imbres quà glebæ emolliuntur, & fœcundantur;

Men-

Menſibus *Decembris* & *Januarii* ſat glaciei eſt ad connectendas, corroborandaſque flaccidas Terræ arterias; Februarius ſat nivis miniſtrat ad foſſa & ſtagna implenda, & albæ molliſque ſtragulæ inſtar ad calefaciendum torum ſeu corpus terræ, ejuſque jam culta latifundia ab inclementia elementorum; nuſquam apparet tanta multitudo Volatilium omnis generis, & examina apium aviumque.

Quod ad Maria circumfuſa attinet, nuſquam major copia, & varietas piſcium omnis generis invenitur. Haleces montium inſtar adnatant agglutinatæ, & totam Inſulam quotannis circumnatando tempeſtivæ ſunt ſingulis menſibus in hoc vel altero littore.

Nec Mare ſolùm, ſed Flumina & ſtagna mira copia piſcium cujuſcunque ſpeciei ſcatent; Saltus & Sylvæ nulla nociva aut rapacia tegunt animalia ut in aliis Regionibus; Tamen abundat Feris, aliiſque ſylvaticis ſed innocuis animalibus venaticæ recreationis gratia, & luxuriæ; Terræ meditullia mineralibus gravida ſunt, Saxoq; latomico ſelectiſſimi generis, & carbone; Radii ſolares quibus torrentur aliæ Terræ, calefaciunt tantùm & exhilarant prata campoſque Angliæ; Regiones Aeris non ſolent eſſe tam caliginoſæ ut alibi, ſed attenuatæ crebris auræ flatibus; Terræ gremium nunquam trepidat ullo violento motu aut paroxyſmis febrilibus quibus laborare ſolent aliæ Regiones ſulphureis ſpeluncis & bituminoſis plenæ concavitatibus. Quantum ad copiam frumenti, & grani cujuſcunque generis uſque ad ſuperfluitatem attinet, *Tacitus Britanniam* vocat Horreum

 orbis

orbis Occidentalis. His omnibus bene perpensis, Poeta non videtur multùm adulari aut blandiri dum salutat Angliam hoc ingenioso cantu.

Anglia Terra ferax, Tibi pax secura quietem,
Multiplicem luxum merx opulenta dedit;
Tu nimio nec stricta gelu, nec sydere fervens,
Clementi Cœlo, temperieque places;
Cum pareret natura Parens, variasque favore
Divideret dotes omnibus una locis,
Seposuit potiora Tibi, Martemque professa
Insula sis fœlix, plenaque panis, ait.
Quicquid amat luxus, quicquid desiderat Usus,
Ex Te proveniunt, aut aliunde Tibi.

Hæc causa est infiniti illius Commercii quod exercet in omnibus Terrarum orbis Regionibus ad *Antipodes* usque, magis exportando sua, quam importando aliena.

Guicciardinus, Author non incelebris, testatur quod postquàm Articuli *Intercursus Magni* conclusi fuerant inter *Angliam* & *Belgium*, Commercium Anglorum censebatur duodecies centum millia librarum sterlingarum quotannis, Cujus Commercii dimidium erat in laneis opificiis, Quo Commercio Belgæ miro modo crescebant divitiis, & negotiatione; Unde, ut quidam arbitrantur, Ordo *Aurei Velleris* erectus fuit a Duce Burgundiæ, relatione habita ad lanas *Angliæ* quibus provinciæ Belgicæ sic ditescebant.

A mira hac exuberantia & Rerum superfluitate oritur populi Angli luxus, & profusio; nam nullibi inveniuntur tam crebræ invitationes, & convivia;

Hinc

Hinc etiam, & a temperatura Climatis, procedit, quòd Anglia dicitur habere quandam Incantatricem Virtutem quia peregrinos reddit immemores suæ Patriæ, cum semel suavitatem Illius gustaverint; Coloni in Anglia tam victu quàm vestitu vivunt ut Generosi; Generosi ut proceres; proceres sicut principes; Prætor Londinensis, cum duobus *Vicecomitibus* Civitatis, mensas esculentis tam splendidè refertas quottidiè habent, ut Reges ire pransum cum Illis non dedignarentur.

Quod ad *Aulam Regis* spectat, quæ possit appellari epitome totius Insulæ, non est Alius Monarcha qui in Majori rerum affluentia, splendore & magnificientia vivit, vigetque; Communibus Annis apportari debent pro apparatu & provisione Regis Domus

Quindecem millia modia Tricici.
Mille quadringenta, & noventa tres pingues Boves.
Septem mille verveces pro carne ovilla.
Mille & ducentos & triginta vitulos.
Trecentos saturos Porcos.
Quadringenta & decem juvencos.
Viginti Sex Apros.
Trecenta succidia lardi.
Sex mille octingenta, & viginti agnos.
Quadraginta dolia butyri.
Centum & quadraginta duodenas Anserum.
Ducentas & quinquaginta duodenas Caponum.
Quadringenta & septuagenta duodenas Gallinarum.

Septin-

Septingenta, & quadraginta Septem duodenas Pullastrarum.

Mille, quadringenta, & sexaginta septem duodenas pullorum gallinaceorum.

Tres mille & centum libras ceræ, præter candelas Sevi.

Quadraginta & octo mille libras butyri novi.

Mille ducentos & quinquaginta vehes carbonis lignei.

Quatuor mille vehes fasciarum, & stipitum ligni.

Sexaginta dolia halecum.

Sexcenta Tinas Vini.

Mille & septingenta Tinas cervisiæ seu potus lupulati, &c.

Hæc omnia quottannis ministrari debent pro primo missorio dictæ Regis domus; Sed pro secundo missorio innumera volatilium & piscium genera cum aliis dapibus ministrari solent quotidie secundum anni & temporis opportunitatem quod exactè observari solet: Hoc induxit *Bodinum* (magnum Illum Criticum) agnoscere, quod justa omnium habita consideratione non inveniri potest alia tam *repleta, hospitalis, & magnifica* Aula, seu Curia Regia uspiam terrarum. Et omnia hæc apportari solent pro ministerio domus Regiæ a Colonis uniuscujusque Comitatus seu provinciæ qui pacto cum Ministris Regis contracto ad hoc strictè obligantur. Et ad hoc præstandum non solùm obligatione pacti, sed innato versus suum Regem & honorem ejus palatii, promptissimi sunt: Nam non est Alia gens quæ suum principem majori affectu prosequitur quam Anglica-

na,

na. Itaque inter Juridicos hæc scitissima verba inveniuntur, *Domus Regis vigilia defendit omnium; Otium Illius labor omnium; Delicia Illius Industria omnium; Vacatio Illius occupatio omnium, Salus Illius periculum omnium; Honor Illius ambitio omnium.*

Alia ratio plenitudinis & lautitiæ hujus in Regia domo est, quia ministri & provisores Regii Palatii in quocunque foro, mercatu, aut emporio, prærogativam habent præemptionis, & omnia habent minori pretio secundum legem Terræ, & statuta in Comitiis Regni sancita; & quilibet Comitatus ad talem proportionem obligatus est; sed hoc onus Illis cum summa moderatione impositum est; Itaque alacres concurrunt omnes ad illud sustinendum, quia spectat honorem Regis, & consequenter totius Nationis; Nam gloria cujuscunque populi præcipuè dignoscitur, & splendere debet in Aula principis; quò peregrini & Advenæ, Legati, & alii Ministri status accurrunt.

Sed notatu dignum est quod inter Comitatus qui pacto & legibus astricti sunt supplere, & instruere Aulam Regis omnibus necessariis, compositiones cum Illis factæ tam moderatæ esse solent, ut Civitas *Londinensis* (quæ est etiam *Comitatus* per se) contribuere communibus annis solita est non nisi valorem duarum mille librarum in Rebus Aromatariis pro ministerio Regii Palatii; Quamvis præsentia, & ordinaria Regis habitatio cum subselliis Justitiæ, & Registris omnis generis maximo sit dictæ Civitati emolumento; Quo fit ut innumeris Inquilinis, & Edificiis quasi infinitis crescat indies, Quod in dubium vocare quen-

quendam fecit utrum Londinum sit in Anglia, an Anglia in Londino.

Tam moderata etiam est Compositio illa generalis pro ministerio Regiæ Domus quòd Cervisiæ Confectores *Londini* degentes, quorum plurimi sunt opulentissimi, obligati sunt solvere non nisi obolum in quovis modio Brasii ad hunc usum; Imò tredecem Comitatus *Walliæ* obligati sunt providere non nisi centum & noventa Juvencos quotannis pro sumptuario Regis Palatii ministerio.

A sumptibus, & expensis Regis Anglorum Palatii procedemus ad Ministros & Officiales numerumque Illorum; Jam verò observandum est *Aulam* solere esse Asylum, & scalam qua Fratres minores, & quæcunque personæ dotibus ingenii, & educatione bene meritæ, solent ascendere & aspirare ad Honores & divitias; nam secundum Legem Terræ Rex est *fons Honoris*, & *mons* munificentiæ.

Innumeri quasi sunt Officiales, & Ministri Regis Anglorum, sed de præcipuis loquuturi sumus; Quorum quatuor appellantur Ministri Coronæ, *viz.*

Magnus Cancellarius seu Custos magni sigilli.
Magnus Angliæ Thesaurarius.
Custos privati Regis Sigilli.
Præfectus Maris, vel vulgò capitalis Angliæ Admirallus.

His accedit Magnus Angliæ *Camerarius*; Et Do-

Dominus *Mariscallus*, seu Polemarchus; Sed Hi sex quamvis dignitate, & authoritate Maximi sint, non possunt appellari Ministri Regis *Domestici*, quorum præcipuus est

Præfectus Palatii Regis, cui assignantur triginta duæ patinæ seu fercula pro sua mensa vel dieta quolibet die; Et observandum est quodvis ferculum unum cum alio in Aula Regis constare sumptu quadringentis coronis in circuitu anni.

Camerarius etiam Regii Palatii habet triginta duo fercula quolibet die sibi assignata.

Thesaurarius Hospitii habet triginta duo fercula quolibet die.

Censor, vulgò Controlarius Regii Palatii habet triginta & duo fercula quolibet die.

Præfectus Stolæ habet etiam triginta duo fercula seu patinas sibi assignatas quolibet die; cum multitudine aliorum domesticorum Regii Palatii qui habent *Bouche a la cour* ut Gallus ait, seu dietam in in Aula, præter stipendia, quorum nomina heic consultò omittuntur quia ad Meridianum Angliæ solùm spectant.

Sed Illi quibus commissa est authoritas gubernandi & Regnandi Aulam Regis vocantur Officiales *Viridis panni* a colore tapeti quo mensa qua consident in consilio Co-operta est; Penes Illos est corrigendi, ejiciendi, aut remunerandi quemcunque ministrum; Et ex eorum numero est Dominus *Præfectus*, *Thesaurarius Hospitii*, & *Custos* seu *Controlarius* cum quibusdam aliis. Hi vero Officiales sunt antiquissimi & supremam habent curam seu superintendentiã Palatii Regis; Ideoq; iis designantur pro Insignibus *Clavis*, & *Virga* *candida*,

candida, seu argentea, quæ symbola sunt præmii, vel pœnæ.

Multiplices sunt & penè innumeri Officiales, & stipendarii Regis Anglorum ministri qui lautè & splendidè inde vivunt, tanti sunt, ut exercitus ex iis solis instrui posset. Hi Ministri cum summa diligentia funguntur unusquisq; suo munere; Non est alius Rex qui limpidiùs, & cum tanta munditie & decore circumstantium servitur; Quum proximo Regi transmarino Lixæ, & sordidi generis homunciones mensæ apponant fercula: Ac in Aula Hispanica tam pauci sunt Ministri, & patinæ tam pusillæ & tenues ac si quis in Cænobio *Capucinorum* esset; Et si culinam quis peregrinus adveniret, difficile posset invenire jentaculum.

Cùm hæc scriberem, faceta occurrit memoriæ Historia, quæ contigit inter Hispanum quendam Ducem, & *Rogerum Williams* Equitem auratum, qui præfectus erat Cohortum Angliæ in Belgio (& quem *Henricus Magnus* Galliæ Rex agnovit præire Illi in Re militari;) Conventi ut erant in quocā Hospitio Antuerpiæ; Hispanus inter prandendum incepit multùm gloriari de frugibus, & salatis suæ Patriæ, aliisq; dapibus acetariis; Eques Anglus auscultabat illum aliquo temporis intervallo, tandem frigidè respondit, Verum est, Angliam non producere tales fruges, herbasque, tamen nos Angli habemus lumbos Bovinos, ac pingues armos vitulinos, & ovillos, cum bonis cervinis artocreis, Vos Hispani non habetis nisi *condimentum pro nostris cibis*.

Ex præmissis hæc conclusio resultat, neminen Regum spendidiorem, lautioremque, & pinguiorem

rem habere Culinam cum majori Ministrorum catervâ, quam Britanniarum Monarcham; Ideo non injustè vendicare sibi possit prima sedem inter Capita Coronata.

Procedamus jam ad Octavum Paragraphum.

Paragraphus Octavus.

De varietate Nationum, & de differentibus inter se Maternis *Linguis, cum aliis Dialectis sub Imperio Regis Magnæ Britanniæ.*

DE

Diversitate Recreationum, numero Palatiorum, Forestarum, Vivariorum, & Parquorum ad Coronam Angliæ pertinentium, &c.

CElebriores Antiquarii, & Polyglottistæ quæ de Sermonibus, linguisque, & earum origine tractant, undecem Linguas maternas seu vernaculas in Europa enumerant, *viz.*

1. Græcam.
2. Latinam.
3. Teutonicam.
4. Slavonicam, *quæ duos habet Characteres, unum Græcum, alterum Dalmaticum, quicum Latinis litteris affinitatem habet.*
5. Britannicam, *seu* Cymraecam.
6. Hybernicam.

7. Canta-

7. Cantabricam, *seu* Basquensem *qua Hispania seu* Iberiæ *putatur esse lingua primitiva.*

8. Albanam *quam Incola Epiri loquuntur.*

9. Pannonicam *quam Hungari loquuntur.*

10. Finlandiæ, *&* Laplandiæ *linguam, versus Septentrionales Suecia partes.*

11. Tartaricam.

Harum spaciosissima & maximæ extensionis tenetur esse *Slavonica*; nam viginti tres diversæ Nationes Illam loquuntur.

Jam verò Rex Galliarum nullam habet Linguam Maternam vel Independentem sibi subjectam in toto suo Dominio, sed Dialectus sunt seu sermones quæ ab aliis linguis derivantur.

Purissimum Gallicæ linguæ Idioma quod in Aula Regia loquuntur, & Illi qui ad Flumen Ligeris cohabitant, non est aliud quàm Latinæ seu Romanæ linguæ Dialectus; Sermo etiam *Vallonum*, Provensalium, & Vasconum, totiusque Aquitaniæ, & generaliter universæ Galliæ tam braccatæ, quàm Comatæ & Celticæ eandem habent originem; Sed lingua Bearniæ affinitatem habet cum *Cantabrica* vel Biscayna in Hispania; Et sermo *Aremoricus* non est alius quam dialectus antiquæ *Britonum* linguæ in Anglia quæ miro modo conservata est pura & integra usque ad hunc diem post tantas & tam varias Revolutiones & Dominii mutationes.

Non inficias eo quòd Hispania habeat unam linguam Maternam & Originalem sub sua ditione quæ est lingua *Cantabria*, seu Biscayæ; Reliqui sermones non sunt nisi Rami avulsi ab Arbore Roma-

Romana quam Castellani, Lusitani, Valentiani, Aragonenses, & Catalauni, aliique inter saltus Pyreneos loquuntur cum Bætica Regione; In quibus sermonibus varia etiam Maura seu Morisca Vocabula impinguntur.

Sed Magnæ Britanniæ Rex habet duas antiquissimas linguas *Maternas* in suis Ditionibus, *Britannicam* scilicet, & *Hybernicam*, quæ per se subsistunt, nec habent ullam affinitatem, ac derivationem ab alio quocunq; sermone; Sex alia Idiomata seu Dialectos habet, *viz.* Sermonem Anglicanum qui derivatur a Saxonica, seu antiquissima Germanorum lingua; Habet Scoticum Sermonem qui est Anglicani Dialectus; Incolæ *Mona* Insulæ utuntur alio Idiomate, & subdialectus est Britannicæ linguæ. Boreales Scoti utuntur sermone quodam ab Hybernico derivato; Habitatores Cornubiæ habent sermonem ab antiquo Britannico deductum; Sed Sermo Insulæ *Cæsarea* Insularumque adjacentium quæ sunt appendices Normanniæ, & adhuc sub ditione Angliæ sunt, est dialectus Gallicæ linguæ. Jam verò nemo sobriè denegare possit honoris esse incremento Regi Britanniarum habere tantas Nationes differentes & Sermones, cum duabus linguis *Maternis* sibi subjectis, & adhuc in puritate sua remanentibus.

Quod ad multitudinem Palatiorum, castrorumque Regalium varietatem attinet, Rex Anglorum non cedit ulli alii Monarchæ; Nam non nisi medio diei Itinere octo habet Palatia Regia a Londino distantia, & plurima alia in provinciis vicinis, Quum Rex Galliæ non habeat dimidium illius numeri, *viz.* Castrum de *Louvre*, *Fontain-*

H *bleans*

bleau, Bois de Vincennes, *Germain de Laye*, & *Matritum*, Domum erectam a Rege *Francisco* primo in memoriam suæ captivitatis *Matriti* in Hispania cui ima & arcta portula fabricata fuit de industria, mandato Imperatoris *Caroli* quinti, ut Rex Galliæ succumberet, & caput inclinaret introeundo; Quod observans Rex posteriora protrudebat primùm in portam.

Rex Hispaniarum præter suum Palatium *Matriti*, & *la casa del buen Retiro*, duo alia habet, *viz.* Monasterium sancti *Laurentii* Martyris quē torreri fecerunt super Craticulam ferream cujus formam Fabrica Monasterii repræsentat, & Ansa craticulæ est Palatium Regis; Ratio erat quia *Philippus secundus* Hispaniarum Rex ante pugnam sancti *Quintini* compulsus erat diruere conventum quendam sancto Laurentio dedicatum, eo quòd aditus & via expeditiùs patefieret tormentis bellicis ad expugnandum oppidum, solenni voto sese astringens, quod si placeret Divinæ Majestati, concedere Illi victoriam, Tale monumentum erigi faceret in Honorem Dei, & sancti Laurentii quod futurum esset octavum mundi miraculum; Ita victoria parta fuit a Philippo, & votum exactè persolutum.

Jam verò quod ad tam diversa Palatia Regia ad coronam Anglicanam pertinentia spectat, *Castellum Winsoriæ* est primarium; Quod induxit *Thomam Roe* Equitem Auratum qui Legatus missus fuerat ad Romanum Imperatorem, diversis vicibus, ad Seralium *Ottomannum* Constantinopoli; Ad Curiam magni *Mogoris* in Indiis Orientalibus; ad Aulam *Galliarum* Regis, & omni-

omnium quasi principum Christiani Orbis, asseverare, se nunquam vidisse in toto suæ vitæ decursu nobilius Palatium *Winsoriensi*, si eminentia situs, si amœnitas soli, cœlique temperies, si magnifica Ecclesiæ adjacentis structura, si ingens Fluvius navigabilis sublabens, si Forestæ & Parqui adjuncti, Et aliæ prærogativæ Regiæ ad illud Castrum pertinentes ab æquo Judice respiciantur.

Præterea, Magnæ Britanniæ Rex innumeras alias solatii domos in suis Parquis & Forestis habet; Nec, absit verbo jactantia, invenitur alius Rex qui tam varia Recreationum loca, delectabiles recessus, Parquos, & Forestas habet; nam septuaginta septem Forestæ sunt quæ Coronæ Anglicanæ annexæ sunt; Jam vero *Foresta* est possessio tam Regiæ naturæ, ut non possit occupari, secundum leges Terræ ab ullo alio quàm ab Ipso principe supremo. Quod si Regi placuerit Forestam transferre ulli subditorum suorum, non retinet ab eo tempore nomen *Forestæ*, sed liberæ Venationis seu *Frankchace*; Nam *Foresta* leges habet sibi proprias, & peculiares Curias Justitiæ ad castigandos quoscunq; transgressores, habet Capitalem etiam Justitiarium, quæ potestas non potest competere ulli Magnati aut subdito nisi Regis diplomate munitus sit, quia Lex Angliæ pronunciat Regẽ esse Fontem Justitiæ. Præter prædictum numerum *Forestarum*, quarum nomina in originali inserta heic consultò omittantur, Rex *Angliæ* possidet tredecem liberas Venationes, & Septingentos parquos; & Lex antiqua Terræ est, *Omnis homo abstineat a Venariis meis super pœnam vitæ*, ut in *Libro Rubro* qui statuta Venatica continet, apparet.

Jam verò si aliquis perlustaret Universam *Galliam*, & *Hispaniam* cum singulis earum provinciis, vix dimidium hujus numeri Forestarum *Regalium* inveniret; Quapropter, an spectabilis hæc excellentia aliquid Juris Regi Britanniarum conferat in ordine ad præcedentiam, Quivis sanæ mentis, sobriique judicii, sententiam ferat.

Festinamus nunc ad Nonum Paragraphum.

Paragraphus Nonus.

De Legibus, & Politicis Magnæ Britanniæ Constitutionibus supremum Principem, & populum spectantibus;

Nec non,

De eminentia, & varietate Honorum quos Rex Angliæ solet conferre, &c.

QUod Arteriæ, Nervi, & Cartilagines sunt Corpori *naturali*, idem sunt leges salutiferæ, statuta, & sanctiones Corpori *Politico*. Regni ligamina sunt, quæ arctant, & connectunt multitudinem Gentium moribus & humoribus discrepantium in Gordiano quodam vinculo sub uno supremo capite.

Lex Communis Angliæ, quamvis in quibusdam circumstantiis discrepet a *Lege Civili*, quâ maxima Europæi Orbis pars gubernatur, Tamen Rationabilitatem, justitiam, & æquitatem habet *Legis Civilis*, cujus præcipuus scopus est conservandi

vandi unumquemque in tuta & pacifica possessione *sui*, Et supremum principem in dignitate, potentia,& incolumitate. Maxima contra *Legem Communem Angliæ* Objectio est, quòd *Methodo* careat, Et quòd non sit reducibilis ad unam certam Methodum, vel capax esse possit redigi in talem *Pandectam* quæ complectitur Legem *Civilem*.

Huic Objectioni respondetur, Quod *Lex Communis* gentis *Anglicana* habeat pro suo fundamento, *Consuetudines*, *Registra Judicialia*, & *statuta* sive. Acta Parlamenti, vel Comitiorum; posteriora duo non sunt nisi Declarationes Communis Legis, & consuetudinum Terræ; sed Illæ Declarationes methodum habent, & digeruntur in certum ordinē, ut Liber statutorum demonstrat, unde omnes Vice-Comites, Justiciarii pacis, Constabularii, aliique Officiales discant modum sua munera fungendi, & singuli subditi etiam hinc instrui possunt, quomodo retinendi sunt intra limites debitæ Obedientiæ, & quod fas est, & nefas.

Sed Communis Lex Angliæ cum conflata sit exemplis, judiciis & placitis præcedentibus, nec minùs ab Immemorialibus & municipalibus consuetudinibus quæ non sunt in scriptis, Mirum non est quod professores Illius non navarunt operam eam reducendi in accuratam aliquā methodum & Regulas, quia merè consistit consuetudine, exemplis, & usu; Tamen indies impendunt operam ut possit retineri in memoria ponendo particularia placita sub quibusdam Regulis generalibus, & diversa volumina nuper imprimuntur ad eum finem conducentia.

Jam vero leges Anglicanæ duo objecta habent;

unum versus principem seu supremum Magistratum, alterum versus populum & subditos; Quod ad hoc attinet, non invenitur ulla Lex quæ magis respicit vitam (& possessiones) uniuscujusque subditi, quamvis infimi generis sit, quàm lex communis Angliæ; Nam cum aliquis sistit in Tribunali, sit pro delicto criminali, vel alia quacunque causa, non penes est Judicem Illum condemnare, sed causa Illius defertur ad duodecem probos & legales Homines pares suos, qui Juramento astricti sunt procedere secundum bonam conscientiam, & secundum allegata & probata contra Reum; Qui Jurati ante finalem Judicii publici sententiam inquirunt in omnes Rei commissæ circumstantias, suamque opinionem Judici de facto aperiunt; suntque Angliæ peculiares, & possit appellari Inquisitio duodenaria; Et ista Inquisitio est duplex, una vocatur grandis vel magna Inquisitio, quæ componitur ex viginti quatuor hominibus optimæ famæ & publicæ reputationis, qui eliguntur a Vicecomite ad examinandas omnes causas prævia quadam consultatione, quæ ab Illis aut rejiciuntur, & demittuntur, aut approbantur, & tum deferuntur ad Curiam vel Tribunal Justitiæ; Ubi alia Inquisitio quæ vocatur minor seu parva Inquisitio, quæ ex duodecem Hominibus componitur ut antedictum est ad eventilandam quamcunque causam, & sine Illorum opinione prius habita ante Curiam non penes est Judicem sententiam ferre; Et quando quis, quamvis subditorum pauperrimus sit, in Tribunali sistit, Interrogatur a quo Judicari vellet, Delinquens respondet a *Deo & Patria*, viz. a duodecem

 homi-

hominibus probis, & suis Paribus. Præterea Lex Communis Angliæ tam tenera est & Indulgens vitæ cujuscunque quod Reus possit excipere usq; ad numerum Tricesimum eorum qui Jurati sunt; Sed nullus Carnifex, Macellarius vel Lanius capax est prædictæ Inquisitionis duodenæ esse, eò quod effusioni sanguinis assuetus sit: Communis Lex Angliæ favet etiam *Viduis* & *Orphanis*; Et *Pauperibus* indulgetur posse suas causas prosequi sine præmio Causidico dato: Nam lex assignat iis Advocatos & procuratores ad agendas suas causas gratis.

Hinc luculentè constat, quam singularem Curam habeat Lex Communis Angliæ vitæ humanæ, & salutis minimi subditorum; non remittitur causa uni solùm Judici, qui corrumpi possit, sed duodecem Jurati publicæ æstimationis & famæ deleguntur ad examinandum, & eventilandum negotium prævia, & diligenti consultatione; Et ut in casu vitæ vel in Criminalibus hoc fit, Ita in civilibus causis quæ tangunt *Meum* & *Tuum*, idem ordo, eadem duodena Inquisitio instituitur.

Quantum ad *Regem* sive supremum Magistratum attinet, *Lex Anglicana* tam sollicita est Illius Dignitatis, & Gloriæ, cum *Prærogativis* quæ *Flores Coronæ* appellantur, quàm aliæ Leges quæcunque; Tamen *Prærogativæ* Regis, cum *privilegiis* etiam Comitiorum seu Parlamenti, & libertates subditi legis Dictamine determinantur; *Leges* Anglicanæ agnoscunt Regem suum *Protectorem*, nec sine ratione, nam ex ore Illius producuntur; Ille est qui vitam & vigorem in eas infundit; Tanta reverentia debetur Illius *personæ* quòd nemo possit *apprehendi* in ejus præsentia quæ

est protectio vel Ipsis Delinquentibus pro tempore; Qui minimum Colaphum impingit in *Aula Regia*, debet habere dextram detruncatam; Lex Terræ affirmat Regem *Anglorum* habere Titulum Imperiali Coronæ Magnæ Britanniæ, & suo Regali Officio & Dignitati de *Jure*, non est potestas *Fiduciaria* a Populo delata; Possessio Regni est inhærens ejus primogenitura, & Jus Natalitium; est sua Inalienabilis hæreditas a *Deo*, a *Natura*, & a *Fundamentali* lege Ipsius Terræ derivata; Non solùm habet Jus *paternum*, quamvis Pater Patriæ appelletur, sed Jus *Despoticum* etiam, & Herile; perfectum Dominium Illi devolvitur Dei gratiâ; Datum est Dispensatione, & favore Divino; suprema Fidelitas, & Obedientia Illi soli debetur, & nulli alii terrenæ potestati; Lex *Anglicana* tam sollicita est Incolumitatis Regiæ personæ, ut Cura hæc se extendit usque ad *Cogitationes*, easque restringit ut non machinentur aliquid mali; Nam Canon Legis est, quod Crimen læsæ Majestatis sit *Imaginari* aliquid damni contra Regem, multò magis moliri, agere, aut perpetrare.

Lex Communis Angliæ pronunciat Regem supremum, Independentem, & absolutum Gubernatorem; Omnesque alii Ministri & Magnates derivant suam potentiam & Authoritatem ab Illo, vel a suo Diplomate, Commissione, aut Litteris Patentibus; Rex Ipse est *Capitalis Justitiarius Angliæ*, & mandata omnia seu *Brevia* quæ detrahuntur a Curiis Justitiæ, subscribuntur *Teste Meipso* ac si Rex Ipse præsens esset; Et quia lex dicit Regem debere gubernare in Justitia, & *Misericordia*, potestas remittendi & absolvendi Illi soli comittitur.

Præ-

Præterea, poteſtas cudendi monetam ſolùm penes Regem eſt; Nec non diminuendi, vel augmentandi nummi valorem; Non eſt alius qui poſſit cudere monetam Auri vel argenti; Quùm in *Gallia* Alii participes fiant hujus prærogativæ; Nec vultus & effigies ullius Regis fulget in puriori Metallo, quam Facies Regis Angliæ; nam in obryzo auro & argento reſplendet abſque ulla intermiſtione, Quum Imagines Regum Galliæ, in ære & Cupro cum aliis ſpuriis metallis & monetis æruginari ſoleant; Nec minùs Regis *Hiſpaniarum*; nam quamvis ſeſe Regem minerarum Auri & Argenti appellet, Tamen Reditus Coronæ ſolvuntur in ære, & cupro, quæ eſt currens moneta Regni; Quo Batavus & Alii habentes æs & cuprum in majori abundantia, & vilioris pretii, calliditate ſua, & dexteritate in cudendo, ingens attulerunt incommodum Hiſpaniæ, ſurreptitiè introducendo magnam quantitatem æris & cupri jam cuſi & percuſſi cum Hiſpanis inſignibus, quod, ut quidam autumarunt, majus damnum Hiſpaniæ ſecum attulit quàm ipſa Arma *Batavorum* Terra Marique; Nam cùm ſcrutinium eſſet factum quantum æris & cuprinæ monetæ cuſum fuerat ante quadraginta annos, compertum fuit, pluſquam triginta centum millia ſpuriæ & alienæ monetæ fuiſſe clanculùm introducta, & in regnum irrepſiſſe.

Communi lege Terræ Rex *Anglorum* habet Tria Inſignia quæ non poſſunt competere alii cuicunque; Habet *Diadema, Sceptrum,* & *Gladium*; primo Regnat; Secundo condit Leges; Tertio Illis protegit cum myriadis diverſarum gentium; Quan-

Quantum ad Diadema vel Coronam attinet, Lex asserit, eam descendere Hæreditaria Linea, & Jure, quamvis per varias antiquissimas prosapias Regum, quorum nonnulli vi & Victoria, vulgò *conquista*, intrarunt.

Quod ad Sceptrum attinet, Insigne est inseparabile, & Diademati inserviens appendix, qua condit, confirmat, vel revocat Leges; nam ante Assensum seu beneplacitum Regis, Determinationes Comitiorum seu Parlamenti non sunt aliæ nisi *Billæ* ut aiunt; Abortivæ sunt, & Embryones, nec spiritum vitæ habent antequàm Rex halitu suo infundit vigorem in Illas; Et antiquus mos erat quod Rex cuspide sceptri Illas tangebat, tunc Leges perfectæ fiunt, & virtutem habent imponendi generalem Obedientiam, & obligationem universæ Genti *Anglicanæ*; Nam Lex dicit, nihil posse obligare ad generalem obedientiam nisi habeat Assensum Regis, quo obtento vocantur *Leges Regis*, & Judices dicuntur declarare Judicia Regis.

Sed antequàm Lex ulla condatur in Anglia, multæ præviæ consultationes, & maturissimæ deliberationes antecedere solent; Primo, negotium movetur in Domo *Communium* seu senaculo inferiore Parlamenti quod universum populum repræsentat; Ubi strenuè agitatur pro & contra per aliquot dies usque dum perveniat ad maturitatem propositionis vulgo *Billa* vocatæ; Quæ ter perlectâ in senaculo & nemine contradicente Scriptis mandatur, & jam Scripta diligentissimè relegitur, & post transmittitur senaculo superiori, seu consessui *Parium*, & Regni Magnatum, ubi etiam ter perlecta est propositio seu *Billa*, & mul-

ta

ta deliberatione agitata, assidentibus unà legum Judicibus ad *consilia* (non ad suffragia) ascitis; Post tantas consultationes unanimi voto amborum Consessuum Res solenniter defertur ad Regem, qui Judices suos consulit utrum aliquid derogatorium sit Regiæ Prærogativæ, si non, Regium suum Assensum seu beneplacitum declarat, ut fiat Lex.

Quantum ad tertium Insigne Regium spectat, *viz. Gladium* militarem, dissertatio magis consentanea erit Paragrapho sequenti.

Lex Anglicana Insuper agnoscit Regem esse *Honoris Fontem*; Et tam latè se extendit ejus potestas, quòd honorem conferre possit Aliis *Regibus*, ac exteris principibus, eo quod sit supremus Magister Ordinis Equestris *Sancti Georgii*; Cujus nobilissimi Ordinis, octo Imperatores; Quinque Reges Galliæ; Quatuor Hispaniæ; Septem Lusitaniæ; Duo Scotiæ; Duo Daniæ; Tres Neapolitani; Unus Poloniæ; Alter Sueciæ; Duo Urbini Duces; unus Mediolanensis; Alter Ferrarensis; Unus Subaudiæ; Alter Calabriæ; Unus Comes Bataviæ; Alter Geldriæ; Quatuor principes Arausii; Septem Comites Palatini ad Rhenum; Duo Duces Brunswicenses; Unus Holsteniæ; Unus Marchio Brandenburgi; & unus Dux *Wittembergensis*, cum plurimis aliis exteris principibus equites *S. Georgii* instituti, & installati fuerunt.

Jam verò non est alius Ordo equitum pure militaris nunc in usu magis antiquus & Illustris quam prædictus Ordo *Sancti Georgii* cujus *Periscelis* est symbolum; Ideoque appellantur nonnunquam equites nobilissimi Ordinis *Periscelidis*; Qui

Ordo

Ordo primùm institutum fuit Magnanimo & victorioso Rege *Edvardo Tertio* Rege Angliæ (quem ambiverunt esse Imperatorem Romanum Anno Domini 1350) Quod contigit Sexaginta annis ante Institutionem Ordinis *Sancti Michaelis* a *Ludovico* Undecimo; Et ducentis vigenti novem annis ante Ordinem *Sancti Spiritus* ab *Henrico* Tertio Francorum Rege; nec non Octoginta annis ante erectionem Ordinis *Aurei Velleris* a *Philippo* Burgundiæ Duce; Antiquior etiam est ducentis & novem Annis quàm Ordo Militum *Elephantis* in Dania, aut Moderno ordine *Amarantæ* in Suecia excogitato.

Notatu non indignum est, quòd inter omnes hos Ordines Ille *Aurei Velleris* (unus ex antiquissimis & nobilissimis) originem cepit & analogiam a *Lana* Anglicana quam Mercatores afferebant in tanta abundantia ad Belgicas Provincias, quâ tantùm ditescebant; Et sicut iste Ordo maximæ est æstimationis, ita maximam habet affinitatem cum Ordine *Sancti Georgii* quantum ad statuta, & Regulas, nec non ad paucitatem equitum; Nam ordo *Periscelidis* tanto nobilior esse reputatur, quia constantissimè adhæret eidem equitum numero, *viz.* 26. a Primitiva Institutione; Quum Ordines Gallorum equitum, tantò multiplicabant quòd ut quidam non minùs ingeniosè quàm lepidè dixit, *Ordines equestres Galliæ fiunt jam Collaria quovis Asino gestanda.*

Et ut sublimis iste ordo Sancti *Georgii* antiquitate præcedit quemcunque alium a Regibus jam gestatum, Ita fundamentum & Origo Illius non erat minoris honoris; Nam cum prima erigendi equestrem

equestrem hunc Ordinem Idea mentem intraverat Heroici Regis *Edoardi*, cogitationes subierunt de Rege *Arthuro* Antiquo Britanno, qui reverà primus Institutor fuit equestrium ordinum militarium inter Christianos, Ideoque ab omni Natione meritò decantatur *primus* novem *Heroum*; Primus fuit qui Insignia Regalia dedit in Scuto suo quod gerit cæruleum, cum novem Coronis Aureis; Deinde Reges *Angli Saxones* dederunt Insignia seu Arma Regalia; Præterea, sicut in Arthuri *Rotunda Tabula*, quæ adhuc extat in Castello *Winsoriensi*, subsellia seu sedes erant pro viginti sex equitibus, Ita Rex *Edoardus* videtur collegasse & limitàsse suos equites præcisè ad illum numerum.

Jam verò, causa quæ induxit Regem Angliæ ad erigendum Illum Ordinem, erat, quòd cum statuerat Bellum gerere contra Gallos ad obtinendam Coronam quæ materno Jure debita illi fuit, concepit necessarium futurum esse, & commodum, invitare, & sibi astringere personas Heroici animi, & spectatæ virtutis ad inserviendum, & Illi fideliter adhærendum in Armis; Quapropter in Imitationem Regis *Arthuri*, jubebat Erigi dictam *Tabulam Rotundam*, in Castro *Winsoriensi*, ubi hastiludiis, & Hippomachia, aliisque bellicosis exercitiis, nec non conviviis lautissimè excepti fuerunt.

Philippus Valesius qui jam invaserat Coronam Galliæ, talem etiam Tabulam erigebat in suo Palatio, exemplo *Edoardi*; Quo modo plurimos bellicosos spiritus ad se allicuit, & nonnullos eorum ab Anglia: Sed *Edoardus* inveniens primum suum

um Institutum non succedere ad animi sententiam, in aliud incidit; quod sibi commodius esset ad obligandas firmiori vinculo personas bene meritas, & conspicuæ fortitudinis; Ad quod propositum Heroicum *Ordinem* Sancti *Georgii* stabilivit ex viginti sex equitibus compositum; Cui Ordini Ille Ipse pro tempore, & sui Regii successores debuerant præsidere in perpetuum; Equites prædicti astricti erant Juramento, & Honoris Vinculo fideles esse, & adhærere personæ Regiæ in quocunque discrimine; Quæ causa fuit quod *Fasciola* genualis fiebat symbolum Ordinis, quæ Fasciola in lingua Græca vocatur περισκελίς, *viz.* Crura ambiens, Ideoque vocantur *Equites Periscelidis*, quo alluditur, quod dicti Equites debent esse arctè astricti inter se invicem ad propugnandum honorem Ordinis.

Non ignarus sum, nonnullos imaginari symbolum *Periscelidis* Originem cepisse a fasciola Comitissæ *Salisburiensis* quæ cecidit in una Chorea dum Illa Saltabat coram Rege; Sed Registrum, seu *liber niger* qui adhuc servatur in Basilico Castro *Winsoriensi* continens statuta Ordinis, & majorem fidem meretur, primam rationem reddit illius symboli.

Inter alios Canones prædicti Ordinis non minùs prudentes quam nobilissimos, unus est, Quòd quilibet eques adstrictus esset Juramento supra Codicem sacrosancti Evangelii defendere pro sua virili parte honorem, Jura, gloriam, & dominium principis dicti Ordinis, *&c.* Tali etiam Juramento Sacramentali *Equites Balnei* (alter Ordo Illustrissimus in *Anglia*) obligati sunt, *viz.* ad Amandum

dum suum principem super omnes Terrenas Creaturas, vivereque & mori pro ejus Juribus, & Dignitate, *&c.* Quapropter sæpe obstupefactus steti latitudine Illorum conscientiæ qui dum erant equites utriusque prædictorum Ordinum, & obligati etiam *Juramento Fidelitatis*, &c. tamen in nuperis Angliæ tumultibus, voluerunt non solùm deserere suum Regem, & principem quando vita ejus imminentibus periculis involuta, & undique obsepta erat, sed voluerunt etiam adhærere suis Inimicis, & Rebellibus qui Illius vitam petebant gladio, & omni genere tormentorum belli. Certè non vellem mutare animam cum Illis. Imponam finem huic dissertationi de præfato Illustrissimo & antiquo Ordine *Sancti Georgii* cum quadam notabile observatione *Bodini* qui asserit in his verbis; *Decretum fuit in Collegio equitum Periscelidis in Anglia ponere stemmata Regis Francorum ante cætera omnia post principem Ordinis*; Et causam hujus Decreti concipio esse, quia *Philippus* secundus Rex *Hispaniarum*, dum *Maria*, Regina Angliæ & Uxor ejus, in vivis remansit, præcedentiam habuit; Sed *Bodinus* in hoc hallucinabatur, quia Arma *Imperialia* præcedebant in Collegio; nam octo Imperatores fuerunt equites dicti Ordinis *Sancti Georgii*, quorum nomina adhuc ibi retinentur proxima principi Ordinis.

Ex præmissis evidentissima hæc consequentia deduci possit ut veritas Meridionalis, Quod *Communis Lex Angliæ* magis respicit Honorem & Gloriam, potentiam & authoritatem, salutem & incolumitatem sui Regis, quàm leges aliùs regni cujuscunque; Jam verò quum antea allegatum fuerit,

fuerit, quod *Lex Communis*, quæ Angliæ peculiaris est, habeat *Rationabilitatem* & scopum Legis Civilis, quamvis non sit digesta in aliquam accuratam Methodum, eo quòd dependeat a consuetudinibus, exemplis, & placitis præcedentibus, seu consultis Veterum; Concludemus presentem Paragraphum quibusdam *principiis* & *Maximis* quæ sunt communicabilia tam *Civili* quam Anglorum *Communi* Legi, & in quibus ambæ concordant; Exempli gratia, *Actori incumbit onus probandi*; *Nemo oportet esse sapientior legibus*; *Ubi Lex non distinguit, ibi non distinguendum est*; *Accessorium non ducit, sed sequitur suum principale*; *Volenti non fit Injuria*; *Agentes, & consentientes pari pœna plectantur*; *Apices Juris non sunt Jura*; *Nemo potest esse Judex in sua propria causa*; *Contraria allegans non est audiendus*; *Cujus est Dare, ejus est disponere*; *Quilibet in Arte sua est credendus*; *Potestas Derivativa non potest esse major primitiva*; *Dies Dominicus non est Juridicus*: *Dormit aliquando Lex, moritur nunquam*; *Dilationes in lege sunt odiosæ*; *Facinus quos inquinat, æquat*; *Generale nihil certi implicat*; *Ignorantia non excusat Legem*; *Lex non cogit ad Impossibilia*; *Lex est summa Ratio*; *Lex citiùs tolerat privatum damnum, quam publicum malum*; *Mala Grammatica non vitiat chartam*; *Linea directa semper præfertur transversali*; *Nemo debet bis puniri pro uno delicto*; *Nemo potest plus Juris in alium conferre quàm Ipse habet*; *Nemo tenetur prodere seipsum*; *Omnia quæ movent ad mortem sunt Deo danda*; *Qui non habet in ære, luat in corpore*; *Qui peccat ebrius, luat sobrius*; *Qui sentit commodum, sentire*

debet

debet & onus ; Quod semel meum est , amplius meum non est ; Stat præsumptio donec probetur in contrarium ; Ubi non est principalis, ibi non potest esse Accessarius ; Unumquodque dissolvitur eo ligamine quo ligatur ; Par in parem non habet Imperium ; Nemo dat quod non habet.

Et hæc Regula vim etiam habet inter *Feciales* vulgo *Heraldos.* Itaque tituli & *Equestres* honores quos *Cromwellus* in nuperis Tumultibus Angliæ dederat, non sunt validi secundum Canonem *Fecialium* , quia Ipse non habuit honorem, nec Titulum *Equitis.*

Paucis generalibus Illis *Maximis* prælibatis , constat , quòd *Communis Lex Anglorum* multum habet affinitatis cum Lege *Civili* Cujus eruditi etiam professores inveniuntur in *Anglia* ; Hinc inferri potest, quòd Rex Magnæ *Britanniæ* plura habet adminicula ad administrandam Justitiam quàm Aliæ nationes ; Nam *Anglia*, eò quod Insula sit, & habeat tantum Commercium per mare, & negotiationes cum exteris nationibus ; Habens etiam tantos terrestres processus & lites tam temporales quàm Ecclesiasticas quæ non sunt decisivæ Communi Lege sola , Ideoque concedit potestatem etiam Legi *Civili* & *Maritima* dirimendi Lites secundum qualitatem causæ dependentis , quod in usu fuit apud Anglos in omni sæculo ; Et quamvis Hi duo professores, *viz. Communis* Legis & *Civilis*, æmuli sint inter se , & quòd inde altercationes nonnunquam oriantur , Tamen tanta est moderatio, & prudentia supremi principis ut eos æquali favore prosequi soleat, & tenere in æquilibrio, non permittens ut hic vel Ille insultet, sed

ut ambo habeant eandem indulgentiam & libertatem incumbendi, profitendi, & exercendi suam Artem tam exterarum gentium, & Alienigenarum gratia qui Angliam freqtentant, quàm suæ ipsius Nationis.

Paragraphus Decimus, & Ultimus.

De Magnitudine potentiæ Militaris Terrâ Marique, tam Defensivæ, quam Offensivæ Regis Magnæ Britanniæ, &c.

IN Opere quodam Gallico vocato *Les Interests des Princes* & a clarissimo *Duce Roano* in lucem edito, Author ait, Quod Anglia est similis *Magno Animali vel Giganti, qui mori non potest, nisi Ipse mortem sibi consciscere velit*; Agnoscit etiam *Angliam* esse *la troisieme puissance*, Tertiam potentiam in Orbe Europæo; sed in opinione positus sum, quod si argumenta quæ in hoc Paragrapho productis bene perpendantur a quovis discreto & æquo Lectore, constabit Illi quòd *Anglia* cum Regnis, provinciisque sibi annexis, potentiâ sua Maritima æquè ac terrestri considerata, non est postponenda ulli alii Regno.

Comparatio jamdudum facta fuit Quod *Gallia & Hispania sunt quasi lances in Europæ libra, & Anglia est lingula, sive libripendens* quæ bilancem in æquilibrio tenet; Hoc sæpe confirmatum fuit, præcipuè Henrico octavo in Anglia regnante, qui pro emblemate suo habuit hæc verba, *Cui adhæreo,*

reo, præest; Aliquando *Franciscum* Regem Galliæ præponderare fecit, aliquando *Carolum quintum*, ficut Ille porrigebat manum; Quod ad Priorem attinet, agnovit Regem *Henricum* (post Deum) fuisse suum Liberatorem, ejusque Filiorum a sua captivitate in *Hispania*; Idem agnoscebat Papa *Clemens* quando detentus fuit Romæ a *Carolo* quinto in Castello de *Santangelo*; Ideoque *Henricus* decantatus fuit *Liberator Orbis* in pleno consistorio Romæ habito, sicut erat antea electus *Protector Fœderis Clementini*; Nec non *Arbiter* totius Orbis Christiani.

Quod ad *militarem* potentiam *Regis Britanniarum* attinet, primum Examinenus Illam solius *Angliæ* quam distinguimus in Terrestrem seu Intrinsecam, & Maritimam seu externam vel Collateralem. Quod ad primam spectat, Quinque soli Comitatus, seu provinciæ In Aciem producere possunt quadraginta mille homines perfectè armatos, nam tanti enumerati sunt in libro *Recensionis* vulgò *Monstræ*, viz. duodecem mille in Comitatu *Eboracensi*; Octo mille in Comitatu *Cantii*; Comitatus *Norfolciæ*, *Lincolniensis*, & *Devoniensis* habent inter se viginti mille conscriptos, & perpetuò armatos; Reliqui Comitatus in Anglia, *Wallia* & Cornubia qui sunt quadraginta septem, suppeditant Octoginta mille armatos, & semper Paratos milites quorum nomina recensentur in dicto libro; Hi omnes exercitum ex centum & viginti mille milsitibus componunt, qui tempore Pacis convenire solent Jussu Regio quotannis ad monstranda sua arma, & militarem recipiendam disciplinam; Hæ cohortes in singu-

lis provinciis vocantur *Posse-Comitatus* quia Paratæ sunt ad contundendum quemcunque Tumultum, & ad assistendum *Vice-Comiti*, si ulla resistentia fiat in executione legum.

Hinc constat Regem Britanniarum semper habere in promptu exercitum 120000 hominum præter copias Regnorum *Hiberniæ* & *Scotiæ*; Et in tempore Belli nuperi motus Intestini (qui adhuc sanguine fluunt in possessionibus & Crumenis eorum qui Regi tam constanter adhæserant) dico civiles illi tumultus abundè explorabant tam potentiam quàm opulentiam *Angliæ*; Nam computatio semel facta est in maximo belli furore, quod Copiæ militares tam *Regiæ* quàm *Parlamentariæ* erant numero 200000 milites conscripti & plus minus armati, quorum quinquaginta erant equestres; Et in Bellis Galliæ Civilibus (quæ *Liga* vocabatur) non memini me legisse in Historia, cum copiis etiam auxiliatricibus exterorum adjunctis, tantos numero fuisse.

Hinc apparet Regem Magnæ Britanniæ habere apparatus Bellicos, & numerosum quendam constantem exercitum suo nutu, & sola dispositione; Nam *Gladius* polemicus seu publicus, sicut *Diadema*, & *Sceptrum*, ad eum solum pertinet, nec potest transferri aliis absque suo beneplacito, & regia Commissione; Jam verò *Gladius* est qui Reges reddit potentes & formidabiles; *Corona* & *Sceptrum* imbecillia, & imbellia sunt Ornamenta, nudæ res, & impotentia Instrumenta sunt sine *Gladio*; Nemo tam debilis judicii est quòd hoc Gladio intelligatur quivis gladius particularis quem unusquisque Lateri suo cingere solet; Aut gladius

gladius quidam *Imaginarius*; Neutiquam, ſed hoc Gladio intelligitur publicus, ſeu polemicus univerſæ Nationis Gladius; Eſt Gladius quidam aggregativus, qui compoſitus eſt aliis omnis generis Armis, & Armamentis, ut tormentis bellicis, ſeu bombardis, Scloppis, lanceis, haſtis, ſalnitro, globis tormentariis, galeis, caſſidibus vel quacunque ſorte armamenti grandis aut exigui; Hic Gladius extendit ſuum cuſpidem ad omnia munimenta, ad Caſtra, propugnacula & præſidia cujuſcunque generis; Hic Gladius ſolùm penes Regem eſt, ſoli Regio lateri cingitur, & ut verba legis currunt, *ad ſuam Dominationem unicè pertinet*, Cum hoc Gladio protegit ſuos, contundit Rebelles, & repellit omnes exteros impetus, aut invaſiones; Cum hoc Gladio defendit totum Corpus *Politicum*, & ſingula Illius membra a vi, & violentia: *Populus Anglus* quamvis in Comitiis ſeu Parlamento congregatus ſit, non capax eſt geſtare hunc *Gladium*; Fundamentales Regni conſtitutiones hoc denegant; Hic Gladius, ut priùs dictum fuit ſoli Regis *Lateri*, ut Magnum Angliæ ſigillum, quod Clavis eſt totius Regni, *cingulo* ejus pendet; Et memoriæ proditum eſt *Carolum Magnum* habuiſſe magnum ſigillum Imperii pomillo gladii ſui ſemper inſculptum, quo ſignificabatur, quod paratus erat defendere *Gladio* quod *ſigillo* ſignaverat.

Jam verò Gladium hunc ad populum transferre idem eſt ac ſi quis arma poneret in manu Amentis; Inter myriadas Inſtantiarum quæ poſſent allegari ad hoc propoſitum, valdè exemplaris eſt, Illa popularis Inſurrectio in *Gallia* vocata *La Ja-*

querie de Beauvoisin, In qua plebs minuta, tam Rustici quam Mechanici, attentabant armata vi extorquere hunc gladium e manu Regis, eoque modo deprimere posse & pessundare Magnates, seu nobiles totius Regni; Et Illa Insurrectio tales contraxerat vires, ut finem suum consequutura fuerat, nisi *Præsules* & Ecclesiastici adhæsissent Regi & nobilibus; Sed postea perpusilla & fatua Gens flexis genibus supplicabant Regem *Gladium* resumere.

Juristæ Legis *Civilis* (qui tamen Regiæ potentiæ, non tantùm favent quantum Lex *Communis Angliæ*) asserunt, sex esse prærogativas quæ ad principem supremum pertinent, 1. Armamenta; 2. Potestas Juris; 3. Potestas vitæ & necis; 4. Bona Adespota; 5. Census; 6. Monetarum valor; Inter hæc Regalia reperimus Armamenta, quod in effectu nihil aliud est, quam Regis Gladius, & ut antedictum est, suo *Lateri* tam proprius est, quàm Corona Capiti, aut Sceptrum dextræ, sed majoris momenti est quàm utrumque; Nam his insignibus generalem quendàm Amorem & opinionem a populo attrahit; Sed *Gladio* (ut filum ex aci oculo) *Reverentiam* cum quodam *metu* mistam attrahit; Jam verò talis intermistio Amoris & metus judicantur optima Gubernationis compositio: *Gladio* Rex honores confert, & nobilitat; Ab hoc Gladio omnes Magistratus Belli pacisque authoritatem suam derivant; Proreges Hiberniæ, & Scotiæ, *&c.* Prætores Londini & Eboraci, Gubernatores Castrorum recipiunt potestatem ab hoc Gladio; Et quandocunque Rex Civitates, aut ullum locum intrat, primum quod Illi offertur est Gladius.

Præ-

Præterea mucro hujus Gladii non solum diametrum Angliæ regnorumque associatorum penetrat, sed extendit se in Regna Neptuni, in Mare, & in transmarinas Regiones, tam ad protegendos suos subditos ab oppressione, & injustitia, quàm ad vindicandas injurias & opprobria; necnon ad defendenda *Jura* Coronæ, ac ad auxiliandos Amicos & confœderatos; Et Iste Gladius tam Inseparabilis est Regi, ut secundum Legem Terræ eo se decingere non possit, aut Alii Illum deferre. Nam hoc esset deserere protectionem sui populi, quod contrarium est Juramento suæ Coronationis, & Regio officio. Quapropter propositio Illa quam Parlamentum *longum* exhibuit Regi *Carolo primo*, ut Comitiis militiam Regni transferret, erat in se *crimen læsæ Majestatis*. Nam nihil posset esse Magis Regiæ dignitati derogatorium, & ingloriosum, quam *Regiam Dignitatem* tam protestatione solenni, quàm pluribus publicis Instrumentis, pro virili sua defendere & propugnare juraverant.

Progrediemur jam a campestri seu rurali potentia Regis Magnæ Britanniæ, ad Urbanam vel oppidanam potentiam; Et primo loco eam quam habet Domesticam in Palatio seu Aulâ Regia Westmonasteriensi ubi ducenti Satellites continuò adstant suis vicibus; Cohors est etiam equitum & Generosorum quæ vocantur *Pensionarii* armis & equis servientes; Præterea Rex Magnæ Britaanniæ habet 3000 pedestres, & 1000 equestres milites qui vocantur *Satellitium Vitæ*; Præter varia præsidia in diversis urbibus & propugnaculis.

Nunc ingrediemur Civitatem *Londinensem* Metropolim Totius Regni, Emporium nobilissimum, & maximum tam Hominum quàm Armorum promptuarium; Civitas quæ æquiparari possit Cuicunque vel in *Gallia*, aut in *Hispania*, tam multitudine Civium, & potentia, quam Commercio & opulentia Negotiatorum, Imò in quibusdam rebus meretur habere præcedentiam, ut inferius luculentis probabitur Argumentis; Neque hæc potentia se extendit tantùm ad protegendam seipsam, sed sat Armorum habet Terra Marique ut distribuantur per singulas Insulæ partes non solum ad supprimendam quamcunque Insurrectionem civilem, sed ad repellendam quamcumque vim exteram, aut Invasionem si res postulaverit, aut quandocunque principi placuerit.

Civitas Londini est similis Immani *Pharetræ* a qua Rex quando libuerit, extrahere possit multitudinem *Sagittarum* pro *sui*, Regnique defensione; Nam præter 12000 Cives continuò armatos qui recensentur & conscribuntur pro præsidio & Incolumitate Urbis, experientia probatum est, secundum computationem & census qui sæpe facti sunt ex Civitate Ipsa & suburbiis adjacentibus quòd 200000 homines robusti & Juvenes conscribi possunt ad arma gerenda si necessitas requisiverit, cum triginta millibus nautarum, nec Civitas gente tenuior videbitur Hisce jam absentibus.

Bene asseri possit, nec *Galliam*, nec *Hispaniam* talem habere Civitatem; Illa quæ maximè capax videtur esse comparationis quantum ad hoc, est *Lutetia Parisiorum*; nam plurima habet privilegai,

gia, eò quod sit Civitas, Villa, & Academia præcipuaque Regum Gallorum Curia, & Justitiæ, quod eam reddit tam populosam ut *Vagina Gentium* appelletur.

Sed progrediamur ad particularia, & primò ad multitudinem Animarum in utraq; Civitate coalescentium; Dicunt Parochias Sancti *Eustacii*, & Sancti *Innocentis*, quæ circa centrum civitatis positæ sunt, habere plus minùs, Centum mille communicantes vel personas adultæ ætatis; Et quod postremo censu qui factus est, decem centum millia personæ enumerabantur in Ipsa Civitate & suburbiis quarum sexta pars erant aut *Ecclesiastici*, aut *Alienigena*, in quos Rex non habet potestatem ad usum belli: sed conjiciamus oculos versus Civitatem Londini, & constabit Illam superare Lutetiam numero habitantium ut inferiùs probabitur.

Quantum ad magnitudinem utriusque Civitatis attinet, pro concesso habetur, *Lutetiam* esse Figuræ Orbicularis sive rotundæ quæ est omnium capacissima, sed secundum judicium Mathematicorum qui ambas Civitates perlustrarunt, si *Londinum* in *Circulum* coniici posset, grandior Parisiis reperiretur; Quod ad publica ædificia spectat: verum est Curiam seu Castellum Regis in Lutetia ad ripas *Sequana* Fabricam esse vastissimam, & similem non inveniri posse Londini, sed unica sedes est quam Rex habet in Civitate; Quùm quatuor sedes Regi sint Londini cum duobus parquis adjunctis; Credo *Bastillam* non velle se æquiparare cum *Turre* Londinensi; nec Flumen *Sequanam* cum *Thamesi*, nec credo *Lutetiam* se præferre velle *Londino* in Commercio, & Societatibus Mercatorum;

catorum; nam Mercatores Londinenses negotiantur in utroque hemisphærio usque ad Antipodes, & Circulum Arcticum; Et quidam Reges non dedignati sunt co-optari in eorum Societates: Nec credo præfectum seu *Provostum* Lutetiæ se præfere velle *Prætori* Londinensi, qui defuncto Rege primas est omnium Nobilium dum Alius Rex præconatur; Aliæ Londino sunt eminentiæ quæ si conjunctim perpendantur, constabit eam non debere cedere ulli alii Emporio, aut Civitati sub convexis Cœli, quas accuratioris methodi gratiâ sigillatim heic proponam; dico Urbem Londinum non debere cedere ulli alii si respiciatur

1. *Salubritas Aeris, & commoda situatio.*
2. *Modus Regiminis tam nocturni quam diurni.*
3. *Magnificentia Magistratuum, &c.*
4. *Regulatio Commercii tam Domestici quam exteri.*
5. *Varietas Artium, & Opificum.*
6. *Numerus Societatum, & Aularum Mercantilium.*
7. *Affluentia omnium ciborum quos Aer, Aqua, aut Terra suppeditare solent usui humano.*
8. *Scaturigines & fontes dulcium Aquarum.*
9. *Varietas Commercii, & lautitia Mercatorum.*
10. *Soliditas, & multiplicitas Mercium Nativarum.*
11. *Munitio omnis generis, & multitudo Civium.*

12. Glo-

12. *Gloriosum & antiquissimum Templum.*
13. *Ingens, & stupendus pons.*
14. *Flumen nobilissimum, & Navigabile.*
15. *Latifundia delectabilia undique circumjacentia.*
17. *Hospitalitas, & publica convivia.*
18. *Varietas locorum ad succurrendos pauperes.*
19. *Varietas Recreationum, & oblectamenta.*
20. *Multitudo Habitantium,*&c.

Non inficias eo quòd plurima ex his inveniantur in aliis urbibus, quibus forsan antecedere possint *Londinum* in aliquo particulari, sed omnibus conjunctim sumptis, non est quod *Londinum* metuat seipsam æquiparare præcipuis earum.

Quod ad primum attinet, *viz.* Salubritatem Aeris, & Commodam situationem; magnopere laudanda est sapientia Antiquorum *Britonum* quod locum tam appositum eligerent ad condendam Civitatem, ubi Aer, Aqua, & Terra concurrunt ad ejus fœlicitatem. Sunt qui opinantur Civitatem benè fundatam debere similem esse dorso Cameli quod colliculos habet extuberantes; Tale Terrenum est quò Londinum stat, cum declivitate ad ripas nobilissimi & navigabilis Fluvii, amœnissimis pratis, & latifundiis circundati; Tam remota est a Mari, & apposita distantiâ, quod nulla vis extranea possit improvisò irrumpere, eamque invadere; Qualitas soli est sicca, & glareosa, quæ multùm conducit ad salutem humanam, quamvis, talis fundus sit magna ex parte sterilis, sed illa sterilitas compensatur labore coloni, & stercore

ſtercore tali induſtria, ut floridiſſima & pinguia undique occurrant prata, quo fit, ut tres mille lactariæ vaccæ, & multitudo aliorum animalium quotide paſcuntur intrá duo milliaria circum Civitatem.

Quod ad ſecundum attinet, *viz.* Modum Regiminis, non reperitur alia Civitas ſub ſole quæ meliùs gubernatur noctu diuque; Nam, quum in aliis magnis Urbibus tam *Galliæ* quam *Hiſpaniæ* non tutum ſit poſt decimam horam plateas perambulare, *Londino* tutiſſimè hoc fieri poſſit nocte integra; nam Conſtabularii cum ſuis Officialibus quaſi in quovis vico & porta Civitatis excubant; Tamen rigoroſæ leges conduntur contra noctivagatores.

Quod ad Tertium attinet, *viz.* magnificentiam & poteſtatem præcipui Magiſtratus, nec præfectus *Romæ*, aut Ille *Mediolani*, nec *Procuratores Sancti Marci* in *Venetiis*; Nec *Provoſtus Lutetiæ*, nec Marcgravius Antuerpiæ, aut ullus alius Oppidanus Magiſtratus comparandus eſt Prætori & Vice-comitibus Londini, ſi ſplendorem, varietatem, & gravitatem Veſtium & catenarum auri, ſi lautitiam menſarum, ſi multitudinem miniſtrorum & Officialium reſpicere velimus.

Quantum attinet ad Regulationem Commercii & Opificiorum omnis generis, cum legibus & præmiis ad omnes Artes accreſcendas indies conſtitutis, difficulter poſſit reperiri ulla Civitas quæ *Londinum* poſſit antecedere.

Quantum ad varietatem Artificum cujuſcunque generis, Londinum ſcatet innumeris tam *ſuis* quàm exteris, & pro conceſſo datur quòd exteri plurimum

plurimum Londino pro fuerunt diversis Inventionibus; Tamen omnes exteri confitentur quod *Anglus* in quacunque Inventione instructus excellere solet Ipsum Inventorem.

Quod ad Societates, Aulas, & Fraternitates seu Corporationes Mercatorum, & Opificum attinet, nulla Civitas sub sole superior est Londino; Præcipua Societas componitur ex duodecem Senatoribus, quorum Unus eligitur quotannis Dominus *Prætor*, quæ electio die Investituræ mira magnificentia celebratur; Sunt etiam institutæ Sexaginta aliæ Societates Civium, quarum unaquæque suam Aulam & instituta particularia ad promovendam suam Artem, in qua mira industria utuntur; Ita ut *Londinum*, cum *Luca* in Italia, non impropriè assimilari possit examini Apium, vel colliculo formicarum, quæ duo Insecta Animalia sunt Emblemata Industriæ.

Quod ad plenitudinem & abundantiam Alimentorum ut Carnis, Piscium volatilium, fructuum, omnisque generis esculentorum & poculentorum, cum aliis quæ ad voluptatem & gustum, vel ad necessitatem conducunt, Londinum nulli alii Civitati sub Cœlo Inferior est. Quidam Hispanus benè versatus in Anglia asserebat quod unum ex Creopoliis seu Macellis Londini vendebat plus Carnis in uno hebdomade quàm tota Curia Hispanica in anno integro.

Nec abundat Londinum omnibus rebus quæ requiruntur ad *Victum*, sed ad *Vestitum* etiam, tam ad armandum Corpus humanum contra inclementiam aeris, quam ad venustatem, nitorem, & magnificentiam; quantæ sortes telarum prostant in

in Officinis, refertæ ſunt argenteis vel auro illitis, Coccineis, Holoſericis, & Purpureis telis, præter lanificas, & linificas telas mille generum (ex proventu Terræ) panni inveniuntur tam artificiosè texti, ut quælibet ulna venditur quadraginta coronis; ſed infelices Schiſmatici Angliæ fugientes non ita pridem conſcientiæ ergô ad Batavos, edocuerunt illos artem texendi telas tam ſubtiles maximo Patriæ ſuæ detrimento.

Quod ad ſcaturigines nitidiſſimarum, & dulcium Aquarum attinet, Civitas Londinenſis gloriari poteſt habere in ſuis venis fluentem tam purum liquorem quàm alia quæcunque; quævis Platea habet aut Fontes, aut aquæductus aut ciſternas aquæ limpidiſſimæ, nec deſunt artificioſa Inſtrumenta ad extinguenda incendia; Quàm Herculeum opus fuit quod *Hugo Midletonus* Eques Auratus exantlavit! nam circuitu ſexaginta lapidum ſeu milliarium induxit Amnem *Warenſem* profluere ſubterraneo curſu per ſingulas Urbis Plateas per tot ſinuoſos anfractus, & Mæandros, monteſque & valles, quâ ingenioſiſſima Inventione quilibet Viculus, imò quælibet domus canales & ciſternas habent plenas aquæ nitidiſſimæ tam ad domeſticum uſum quàm ad refrigerium, & extinguenda Incendia ſi quæ contigerint.

Quantum ad Commercium ſpectat, & liberam facultatem commeandi, contrahendique ultrò citroque, *Urbs Londinenſis* palmam præripit aliis quibuſcunque ſub orbe Lunæ poſitis; Nam non invenitur Mare, pelagus, pontus, aut fretum, non labitur Flumen ullum navigabile, aut amnis aquæ triginta duobus ventis exponuntur a Polo

Ar-

Arctico ad Antarcticum, ab Oriente ad Occidentem solem, ubi Mercatores *Angli* non velificant, & negotiantur.

Quantum ad solidas, & apprime necessarias merces quas Anglia habet ex suo proventu, quàm innumeræ sortes lanificii & linificii indies exportantur, quæ tantæ æstimationis sunt ubique Terrarum? Quanta navigia plumbo & stanno onusta exeunt, quæ Chymica quasi Arte Illa transmutat in Aurum & Argentum monetale, cum diversis aliis Rebus tam ad Utilitatem, quàm Elegantiam & luxum!

Quantum ad Oblectamenta, solatia, & innocuas Recreationes ad Sanitatem & vitam demulcendam spectantia, non memini me vidisse aliam Civitatem *Londino* comparabilem, tam intra quàm extra muros, tam Aqua, quam Terra, in pratis & campis circumvicinis; Tam varia sunt exercitiorum genera ut si quis ea describere conaretur, Volumen integrum impleret.

Quod ad augustum & antiquissimum Templum seu Ecclesiam Cathedralem attinet, Basilica in centro Civitatis supereminet Deo & Sancto *Paulo* consecrata, quæ sumendo situm & latitudinem cum omnibus dimensionibus æquiparari possit cuicunque aliæ Cathedrali Ecclesiæ per totum Christianismum; Unum habet apprime singulare, *viz.* quod Hæc Sacra Basilica fundata sit super *Fidem*; nam alia ampla structura quæ vocatur Ecclesia *Sanctæ Fidei*, quæ est etiam Parochia per se, sub Paulina accumbit, sat luminosa, & nitida quamvis sit subterranea.

Quod attinet ad *pontem* Londinensem, & *Flu-*

men

men navigabile; Pons prodigiosissima moles lapidum est, & difficillimè reperiri possit talis maquina ullas aquas superstans, si rapiditas, & torrentis profunditas Fluminis sublabentis respiciatur; Amplissimos redditus habet ad sui Reparationem, & ad pedem pontis domum habet commodissimam, ubi ingens granarium, seu promptuarium frumenti invenitur continuò repletum ad sublevandam Civitatem tempore Famis, & inedia: Alia etiam granaria sunt in diversis Aulis Civitatis semper plena, si forte publica contigerit annonæ penuria: Ad prospiciendum hunc pontem magnus est Officialium numerus, qui semper in promptu sunt, ad resarciendam illam, & inde commodissimè vivunt: Author alibi in sua *Londinopoli* seu Descriptione Civitatis *Londini* (opere voluminoso) hos habet numeros huic loco apprimè appositos.

De Ponte Londinensi,
Ejusque
Stupendo situ, & structura
Ad instar Celebris Illius Hexastichi Poetæ Sannazarii de Urbe Veneta, *&c.*

Viderat Hadriacas——

Cum Londinensem Neptunus viderat Urbem,
Vectus ibi propriis, atque revectus Aquis;
Dum densam penetrat Sylvam, Lucosque ferentes
Pro ramis Funes, *pro foliisque Cruces;*

Cum

Cum superimpositum Torrenti in Flumine Pontem
Viderat, & rapido ponere fræna Freto;
Cum tantos muros, Ferrumina, Castra, tot Arcus
Vidit, & hæc tergo cuncta jacere suo ;
Arcus *qui possent totidem formare* Rialtos,
Metiri si quis summa vel Ima cupit :
Hæc Deus *undarum aspiciens, Fluxusq; retrorsum*
Tundere, & horrendos inde boare sonos.
Nunc *mihi quanta velis* Terræ *miracula pandas*,
Est primus Mundi pons, *ait*, Iste Stupor.

Quantum ad Fluvium *Thamesin*, parem non habet, si respiciatur longitudo, & rectitudo sui cursus ab Occidente versus Orientem solem absque tantis Mæandris, quibus alii Fluvii tanta sinuositate labuntur; Si respiciatur apposita distantia quam à Mari habet ad occurrendum cuicunque subitæ Invasioni; cum amœnitate riparum, & soli circumjacentis, varietate Piscium, & pinguedine fundi, unà cum occulta quadam virtute quæ suis Aquis inhæret; nam Cerevisia quæ ex iis conficitur tanti æstimatur inter Batavos & Belgas, quòd pretium vini habeat.

Quod ad numerum Civium atque Animarum attinet in Civitate & Suburbiis, *Londini* Civitas non est inferior *Lutetiæ*, qua in ultimo censu quem fecerunt, ut priùs annotatum fuit, decem centum mille enumerati erant; sed An. 1636 cùm in mandatis datum fuit a Rege *Prætori* Urbis ut censum faceret *Exterorū* qui in Urbe habitabant, ansam inde occasionis captavit faciendi unum censum generalem eorum qui degebant intra muros & sub Jurisdictione, præcinctu, & authori-

men navigabile; Pons prodigiosissima moles lapidum est, & difficillimè reperiri possit talis maquina ullas aquas superstans, si rapiditas, & torrentis profunditas Fluminis sublabentis respiciatur; Amplissimos redditus habet ad sui Reparationem, & ad pedem pontis domum habet commodissimam, ubi ingens granarium, seu promptuarium frumenti invenitur continuò repletum ad sublevandam Civitatem tempore Famis, & inedia: Alia etiam granaria sunt in diversis Aulis Civitatis semper plena, si forte publica contigerit annonæ penuria: Ad prospiciendum hunc pontem magnus est Officialium numerus, qui semper in promptu sunt, ad refarciendam illam; & inde commodissimè vivunt: Author alibi in sua *Londinopoli* seu Descriptione Civitatis *Londini* (opere voluminoso) hos habet numeros huic loco apprimè appositos.

De Ponte Londinensi,
Ejusque
Stupendo situ, & structurâ

Ad instar Celebris Illius Hexastichi Poetæ Sannazarii de Urbe Veneta, *&c.*

Viderat Hadriacas——

Cùm Londinensem Neptunus viderat Urbem,
Vectus ibi propriis, atque revectus Aquis;
Dum densam penetrat Sylvam, Lucosque ferentes
Pro ramis Funes, *pro foliisque Cruces;*

Cum

Cum superimpositum Torrenti in Flumine Pontem
Viderat, & rapido ponere fræna Freto;
Cum tantos muros, Ferrumina, Castra, tot Arcus
Vidit, & hæc tergo cuncta jacere suo ;
Arcus *qui possent totidem formare* Rialtos,
Metiri si quis summa vel Ima cupit :
Hæc Deus *undarum aspiciens, Fluxusq; retrorsum*
Tundere, & horrendos inde boare sonos.
Nunc *mihi quanta velis* Terræ *miracula pandas*,
Est primus Mundi pons, *ait*, Iste Stupor.

Quantum ad Fluvium *Thamesin*, parem non habet, si respiciatur longitudo, & rectitudo sui cursus ab Occidente versus Orientem solem absque tantis Mæandris, quibus alii Fluvii tanta sinuositate labuntur; Si respiciatur apposita distantia quam à Mari habet ad occurrendum cuicunque subitæ Invasioni; cum amœnitate riparum, & soli circumjacentis, varietate Piscium, & pinguedine fundi, unà cum occulta quadam virtute quæ suis Aquis inhæret ; nam Cerevisia quæ ex iis conficitur tanti æstimatur inter Batavos & Belgas, quòd pretium vini habeat.

Quod ad numerum Civium atque Animarum attinet in Civitate & Suburbiis, *Londini* Civitas non est inferior *Lutetiæ*, qua in ultimo censu quem fecerunt, ut priùs annotatum fuit, decem centum mille enumerati erant; sed An. 1636 cùm in mandatis datum fuit a Rege *Prætori* Urbis ut censum facerer *Exterorũ* qui in Urbe habitabant, ansam inde occasionis captavit faciendi unum censum generalem eorum qui degebant intra muros & sub Jurisdictione, præcinctu, & authori-

K tate

tate prætoris, & enumerabantur septem centum mille Marium, & Fœminarum; Jam verò Suburbia *Londini* cum *Westmonasterio* & alii locis quæ Illi contigua sunt ampliora sunt ipsa Civitate, nam Londinum comparatur Volumini cum largissimis marginibus, & loca Illa suburbialia magis pullulant populo. Itaque facilis conjectura fieri potest, quod coalitio utriusque sexus in Illis sit duplò numeriosior: Quantum ad formam Londini non ineptè possit assimilari folio Lauri cujus longitudo duplò excedit latitudinem, Quæ ratio est quod non apparet tam populosa quàm *Lutetia* quæ circularis figuræ est, ideoque prætereuntes seu Viatores frequentiùs obviam eunt; sed quod ad longitudinem spectat, Londinum bis Lutetiam extensione superat, nam extendit sex milliaria, & Circuitus ejus plus minùs duodecem Milliarium est.

Ut imponamus finem huic materiæ, Quod ad potentiam militarem *Londini* tam Offensivam quàm Defensivam, non est alia Civitas Maritima aut Mediterranea quæ omni genere Armorum, quæ munimentis, propugnaculis, navalibus, Textrinis, præsidiis, nautis, naucleris, & numero Civium possit anteire Urbem Londinensem.

Annales referunt quod sub dominio Regis *Stephani* Civitas *Londini* conscripsit 60000 pedestres, & 20000 equestres milites quingentis annis jam præteritis; Quantos posset conscribere in statu quo nunc est! Nam eam comparare velle ut erat tunc temporis, staturæ præsenti, comparare esset Nanum Giganti tam proportione quàm viribus; Legimus etiam & *Londinum* sæculis retro-

actis

actis solere armare octoginta Naves tam ad purganda Maria circumflua Pyratis & prædonibus, quàm ad protegendos portus, & Mercatores a latrociniis tutandos.

Tam potentem Civitatem, & Emporium habet Rex *Britanniarium* sub suo dominio, talem habet *Cameram Imperialem*, nam sic appellatur a Juristis: Et, si Romani Imperatores in suis Diplomatibus & edictis publicis vocabant *eam Augustam* (quod symbolum est honoris & magnificentiæ) quanto magis meretur Illud nomen in magnitudine & gloria qua nunc efflorescit & triumphat!

Sic jejuno & tenui stylo disseruimus de viribus & potencia militari Regis *Anglorum*, non includendo in hoc discursu *Hyberniam* & *Scotiam*, quarum potentia si in justa bilance trutinaretur, æqualis esset ponderis cum Anglia.

Quod ad Maritimam Angliæ potentiam spectat, loquuti sumus de ea in paragraphis præcedentibus. Hoc unum adjiciemus quod Rex Magnæ Britanniæ portum habet cui nec *Gallia*, nec *Hispania*, nec Ipse Undarum Rex in universo Oceano habent æqualem; portus est *Millefordii* in Comitatu *Pembrochiano* apud Wallos seu antiquos Britannos. De hoc celeberrimo portu, & in ejus laudes non solùm, Latini, sed Græci Authores scripserunt in omni sæculo; Vocatur *Millefordia*, eò quod mille habeat Ostia, ideoque a Græcis Authoribus nominatur χιλιόστομος, nam mille navigia possunt ibi appellere, & anchoras jacere, tutissimèque quiescere contra violentiam Æoli, & Elementorum.

Dum hæc scriberem, susurrus quidam in aurem videtur irrepere, Regem Galliæ transcendentem quandam habere potentiam quâ Angliæ Regem exsuperat, *viz.* quod suo libitu possit imponere vectigalia, & erogare pecunias a suis subditis absque ope & assensu Comitiorum, vel conventionis Trium Regni statuum, sed solis suis edictis & diplomatibus: conceditur eum hoc posse; sed gratiæ agendæ sunt *Anglis* quod talem habeat potestatem; Nam cùm *Angliæ* Rex eum detruserat armorum vi in quendam angulum sui Regni, *viz.* in provinciam vulgò dictam Berry, Anglo dominante in reliquis, Potestas illa quæ priùs sita erat in conventione Trium statuum seu Comitiis imponendi census & vectigalia, aut erogandi pecunias a populo quando res & tempus postulabat; Dico hanc potestatem delatam fuisse Regi modo fiduciario pro tempore, *viz.* durante bello, eò quòd tres Regni status non possent tutò convenire Anglorum causa qui ea tempestate victricibus armis occupabant Maximam Regni partem; & Bello diu flagrante temporaria hæc potestas facta est perpetua; Sed hæc potestas eum reddit Regem Mancipiorum potiùs quam liberæ gentis, vel *subditorum*; Et si Galli tales vocari vellent, sunt tamen subditi cujusdam Asininæ conditionis, qui virilis nihil habent animi, aut vigoris, eo quod Rex toties eos soleat tondere, seu potius deglubere, ut vix habeant quo se sustentent victu, aut vestitu ordinario; Quæ causa est, quod etiamsi Gallia generosa, & fertilissima Terra sit, tamen plures mendici & pauperes ibi inveniuntur quàm in tota Europa; Jam vero canon est Legis civilis, qui

qui ita se habet, *Dominum habere nobiliorem confert ad dignitatem Vassallorum, & nobiliorem habere populum confert ad nobilitatem principis*; Secundum hunc Canonem Rex *Magnæ Britanniæ* Nobilior est, quia ingenuos habet, & liberos subditos, gentemque quæ semper retinet insitum suum vigorem, & promptitudinem; est Rex Hominum, non Asinorum.

Tamen negari non potest quod multùm conferat ad æstimationem, tutamen & gloriam cujuscunque Regis habere crumenam benè saburratam ut aiunt, & Arcas thesauro semper plenas (modo hoc fiat sine populi sui excoriatione) Respublica *Veneta*, & status *Genoensis* tantæ æstimationis sunt, quia Illa habeat thesaurum Sancti *Marci*, hæc Sancti *Georgii*; Dux *Hetruriæ* vocatur Magnus quamvis sua Territoria non sint nisi angusta, eò quod Cistas habeat auri & argenti semper plenas. Quod mihi in mentem revocat quoddam proverbium inter Italos quod non est male sanum (quamvis aliquantulum Crassum) *Cavagliero senza quatrini, è come un muro senza Croce da Tutti scompisciato.*

Ante quàm imponamus finem primæ huic *Sectioni* de præcedentia Regum, relaturi sumus celebrem illam altercationem pro præcedentia quæ contigit inter Legatos *Elizabethæ* Anglorum Reginæ, & *Philippi* secundi Regis Hispaniarum urbe *Boloniæ* in Gallia Anno Domini 1600.

Henricus *Nevile*, & Johannes *Herbert* ambo equites Aurati cum aliis, delegati fuerunt, & conjuncti in una Commissione Legantina, seu

mandato Regio ab *Elizabetha* ad tractandum de renovanda pace cum Hispano post plurimos ferocissimi belli conflictus; Don *Balthazar de Zuniga*, cum alii missi fuerant a Philippo secundo Hispanorum Rege, Bolonia locus erat assignatus conventui, quo cum appulerant, & acquieverant quibusdam diebus, Legati Hispaniæ pro prævio quodam Scripto ad Anglos misso postulabant præcedentiam, cui scripto Remonstrantia quæ sequitur missa fuit pro responso ad Legatos Philippi.

Illustres, & Magnifici Domini,

Perlegimus scriptum quod Illustres & Generosæ Personæ vestræ ad nos heri miserunt, & Illa capita quæ substitutionis potestatem, & sigilli vigorem attingunt, statuimus non ulterius prosequi, confidentes de sinceritate Serenissimi Domini Archiducis, & acquiescentes integritate Illustrium, & Magnificarum vestrarum personarum quæ nobis pollicentur bonam fidem in hoc quod agitur negotio summo cum candore & humanitate conjunctam; Clausulam verò quam in Serenissimi Archiducis Commissione omissam esse superius demonstravimus quam primum commodumque videbitur quod pollicitæ sunt vestræ Illustres, & magnificæ personæ petimus inserendum. Quod vero Illustres & Magnificæ vestræ personæ asserant insolitum & novum videri quod proposuimus de Prærogativa & præcedentiæ dignitate Serenissimæ Reginæ Dominæ nostræ semper debita, Non possumus dissimulare, nos valde mirari Illud viris vestræ conditionis, eruditionis, & Judicii novum esse & insolitum, quod universo orbi Terrarum

notum

notum est, & celebratissimum; Res enim est exploratissima quod Regio Hispanica cùm distributa fuerit in diversa Regna, & devoluta in manus Regis Ferdinandi, & Reginæ Isabellæ, Regnumque Granatæ insuper ei adjunctum, unà cum cæteris partibus Indiarum Occidentalium, orta est contentio speciosè magis quàm solidè rectèque fundata de præcedendi dignitate cum Regno Anglorum tempore quo Papatum occupavit Alexander ejus nomine sextus, natione Hispanus, quæ perducta ad tempora Julii secundi, Volaterranus *Author imprimis bonus Historiographus Italus nullo privato beneficio Angliæ obstrictus, quique eodem tempore vixit, ea de causa quemadmodum res actæ, gestaque fuerunt probè potuit intelligere, de hac Re ita refert; Inter Oratores Henrici septimi Regis Angliæ, & Hispaniæ Regis inter Sacra sedendo orta est contentio quæ etiam sub Alexandro cœperat, Julius locum honoratissimum Anglis pro tempore adjudicavit, quod quidem Jus, & prærogativam Regis Angliæ possidentes tenuerunt usque ad tempora Caroli Quinti Imperatoris, qui licet ratione Cæsareæ Majestatis supremam sedem Dignitatis inter Principes occupavit, Illud tamen privilegium ad posteros suos in præjudicium aliorum Principum transmittere non potuit. Ideoque post obitum ejus quæstio Illa præcedentiæ ad ibidem terminos unde antea digresserat reversa est; Cùm igitur Reges Angliæ semper tenuerint priorem & augustiorem sedem præ singulis illis Regibus priusquā Regna eorum in unum reducta fuerint, reductisque in unum indeque ea de re quæstione mota Jus suum ex sententia Papæ retinuerunt, de quo nullo unquam tempore aut occasione cesserunt.*

Extra controversiam ergo putamus Illud de Iure pertinere ad Coronam Angliæ, utcunque propagata, & amplificata sunt Territoria, & Dominia, Regni Hispaniæ quod recta rerum æstimatione nihil valet, aut valere debet inter Christianos Principes ad hanc præcedentiæ quæstionem; Alioqui plurimi Reges, & Principes sibi assumerent præcedentiam in multos alios Principes quibus jam & liberè & libenter concedunt.

Amplius de hac præsenti controversia de præcedentiæ dignitate hoc ipso tempore aliud est quod se non indignè offert Judiciis vestris examinandum, Nempe quod unus e nobis quem Serenissima Domina Regina nostra ad hunc tractatum pacis concludendum elegit, Legatus is est qui quotidiè residet apud Christianissimum, quam dignitatem unà cum omnibus prærogativis quæ eam comitantur retinet quoad in Regno Galliæ commoratur; primus verò de vobis quamvis sit Legatus Catholici Regis apud Serenissimum Archiducem, cum jam sit extra Territorium Archiducis, qualitate ea dignitateque exui censemus; Et nostrum in quo multiplicata ista Dignitas elucet, & dominatur Iure præferendum unicuique qui singulari & nudo Titulo deputati scilicet ad Tractatum pacis inductus prodit. Vobis igitur si placeat, quæstio ista alto silentio prætermittatur, Hæcque prærogativa de qua agitur maneat, habitetque in Serenissima Regina Domina nostra ad Quam jure spectat, pertinetque; Ita alacrioribus animis ad Conventum, Colloquiumque cujus causa huc accessimus, feremur.

Ista omnia pro prudentia, & moderatione vestrarum Illustrium & magnificarum Dominationum

petimus

petimus amicè & candidè accipi, ut quæ profecta sunt ab observantiis, & Religione Officii nostri, non a studio tempus consumendi, & contentionis excitandæ.

Datum Boloniæ 26. Maii, 1600.

Sign.
Henricus Nevile.
Johannes Harbert.

Legati Hispaniæ responsum dederunt Huic Declarationi, quod reservamus Tertiæ *Sectioni*, In quo responso Argumenta Hispaniæ pro præcedentiæ Dignitate proferuntur, quorum præcipua, & *Herculea* est ut aiunt, multiplicatio & incrementum Dominiorum quæ accesserunt Regi Catholico; sed tam *Besoldus* quàm *Cassanæus*, cum àliis Juridicis eminentissimis asserunt hoc esse argumentum nullius momenti, aut ponderis; exempli gratia, Comes *Arundeliæ* agnoscitur esse primus Comitum in Anglia; Comes de *Angus* in Scotia; Et Comes de *Kildare* in Hybernia sine ulla controversia, & secundum sententiam *Fecialium*, supposito quòd Alii Comites iis Inferiores augmentent suas possessiones, aut Dominia seu maneria, tamen non præsument anteire prædictos Comites; Itaque Argumentum valet *A minori ad majus*, Nam si hæc Regula valida sit inter subditos, multo magis vigorosa debet esse inter Reges, & principes supremos quorum Prærogativæ sunt majoris momenti.

Corol-

Corollarium primæ Sectioni adjectum.

IN decem Illis Paragraphis quæ præcesserunt luculentis, & limpidis argumentis constat,

Quod Rex Magnæ Britanniæ

1. *Habuit Prædecessorem suum* primum *Regem Christianum.*

2. *Habuit prædecessorem* primum *Imperatorem Christianum.*

3. *Habuit prædecessorem suum* primum *Christianum Heroem, & primum Institutorem equestris ordinis militaris.*

4. *Habuit prædecessores suos tam victoriosos Reges quotquot uspiam viguerunt.*

5. *Ex præcedenti Sectione constat, quod sui prædecessores erant* primi *Regum qui evaserunt liberi a Romano Imperio.*

6. *Constat Regem Britanniarum Principem esse nobilissimi Ordinis equestris quotquot uspiam sunt.*

7. *Constat quod Legati ejus præcedentiam habuerunt Legatorum tam* Galliæ, *quàm* Hispaniæ *in diversis Consiliis Oecumenicis.*

8. *Constat Regem Magnæ Britanniæ tam liberas, fortes, & strenuas Gentes habere quam uspiam inveniuntur.*

9. *Constat* Illum *tam lautam, Hospitalem, & magnificam Curiam habere quam alius quicunque Rex.*

10. *Con-*

10. *Constat Regem Magnæ* Britanniæ *habere tam absolutum & Independens Dominium, tam* spirituale *quam Temporale; tanta, & tam strenua Navigiorum bellicorum genera, cum* Portu *omnium nobilissimo, habet littora tam inaccessibilia, potentiam tam immensam Terra Marique, ut iniquissimum esset Illum postponere ulli alii Monarchæ in universo Terrarum Orbe.*

Hæc causa est quod *Angli* Mercatores quocunq; negotiantur, tantam habent æstimationem, & Fidem illis datam, Majora habent etiam privilegia, tam *Oresundæ*, quàm *Hamburgo*, & apud *Batavos* ubi Hospitia seu Palatia gratis præparantur Illis, cum exemptione a telonio vel censu quem vocant *Excise*; In ditionibus Magni Ducis Hetruriæ; In Curia Moscovitica, & Constantinopli, prærogativas habent quarum aliæ Nationes non participes sunt; Neminem quasi latet Scoticos Negotiatores habere emtionem Vindemiæ *Bordegalæ* cum aliis immunitatibus per universum Galliæ Regnum.

Quapropter si Rex ullus dici possit esse Πολυσκήπτατος, Rex Britanniarum Ille est, & cui celebre Illud carmen principis Poetarum applicari possit

Σκήπτρῳ μέν τοι δῶκε τετιμῆσθαι περὶ πάντων:
Sceptrum Illi datur omnibus honorandum.

Jam tempus est trajiciendi in Galliam, & producendi argumenta Illius etiam Regis in ordine ad dignitatem Præcedentiæque, fideliter extracta

tracta ex propriis suis Authoribus, & celebrioribus eorum, qui asserunt Sessionem Illi debitam esse proximam *Imperatori*; Dicti Authores sunt Cassanæus, Fethaut, Besoldus, Carolus de Grasseliis, Hierom Bignon, Petrus Matthæus cum aliis.

Finis primæ Sectionis.

Secunda



Secunda Sectio,

Continens Rationes quibus Rex Galliarum vendicat præcedentiæ dignitatem, & Sessionem Imperatori Proximam in omnibus solennibus congressibus, & publicis transactionibus Status, *&c.*

Quæ Rationes

Eò quod Sparsim, & confusim legantur in multis Authoribus, digeruntur heic in decem Capita vel Argumenta sigillatim discussa, quarum prima deducitur.

1. *A Nobilitate* Regni *Galliæ.*
2. *A Nobilitate* Regiminis.
3. *A Nobilitate* Regionis.
4. *A Religione & Nobilitate Ecclesiæ.*
5. *A Nobilitate Gentis Gallicæ, & multitudine subditorum.*
6. *A plenitudine potestatis Regiæ.*
7. *A potentia Ipsius Regni.*
9. *A Fortitudine, & Rebus in Bello gestis.*
10. *Ab exemplo, & Antiquitate.*

De

De Argumento primo deducto

A Nobilitate Regni.

EST quoddam celebre Dictum ad naturam Proverbii appropinquans, *viz. Gallia* inter Regna; *Anglia* inter Insulas; *Mediolanum* inter Ducatus; *Flandria* inter Comitatus, præferuntur omnibus aliis in suo genere, & primas obtinent, dicuntur excellere κατ' ἐξοχήν. Aliud etiam non minus celebre Dictum *Maximiliani* Imperatoris memoriæ proditur, qui communicando in quodam critico Discursu cum suis Consiliariis de Europæi orbis Dominiis, in hoc encomium Regni Galliæ incidit, *Si possit competere ordini Naturæ, & Beneplacito* Omnipotentis *quòd ullus Mortalium capax (absit verbo prophanum quid) fieri posset* Deus *esse elementaris mundi, & quòd ego Ipse talis essem, Testamentum conderem, & declararem (quantum ad Herciscenda patrimonia) primogenitum me succedere in* Deitate, *sed legarem Regnum Galliæ Filio meo secundo.* At hoc dictum interpretandum est sano sensu; nam Imperator hoc sermonis excessu nil aliud intimari voluit, quàm æstimationem quam habuit de nobilissimo & potentissimo Galliæ Regno; Quod Regnum jam duravit in una Hæreditaria, & successiva Monarchia mille ducentos annos in tribus prosapiis: & stirpibus Regum, quorum Ludovicus decimus quartus nunc regnans est Sexagesimus quintus Monarcha.

Jam

Jam vero quicunque accuratè perlustraverit gloriosum illud Regnum, judicabit nullum aliud commodioris, & fortioris situs esse ipsius Naturæ indulgentia; Nam positum est quasi in centro Europæi Orbis, habens versus Occidentem solem Magnam Britanniam; versus Orientem, Italiam & Helvetiam; Meridiem versus Regna Hispaniæ; & versus Septrionales mundi plagas Germaniam superiorem, & Inferiorem. Jam verò notatu dignissimum est quo modo munita & circumvallata sit Gallia contra omnes hosce Vicinos singulari quadam providentia; Contra primum, *viz.* Regem Britanniarum habet profundissimam fossam, seu Neptunum ipsum interpositum; Contra secundum habet confragosos *Alpium* montes; Contra Tertium habet Saltus *Pyreneos* sicut vallsa ipsa natura erecta; contra quartum castra, urbes, & propugnacula habet cum præsidiis, aggeribus, & omni genere fortificationum; Oceanus uno latere & Mediterraneum Mare altera parte simbrias ejus alluit, & Commercium invitat; Nam tanta est commoditas Illius positionis quòd obvia, & facilè accessibilis appareat universo Generi humano Commercii, & negotiationis gratia Terra Marique.

Præterea, quum sit in centro sita, maximè idonea est Arbitratrix esse, & præscribere leges vicinis circum certantibus; nam dividere, vel unire, admittere vel impedire potest Copias eorum in transitu; Appositè etiam sita est aut porrigere manum auxiliatricē Amicis, vel oppugnare Inimicos.

Diversas Provincias habet, quarum Gubernatores æquales sunt Vice-Regibus; Et quantum ad Nobiles

Nobiles attinet, Innumeri sunt; nam conscribere potest quinquaginta mille nobiles seu generosos pro Re militari si Res postulaverit; His subjungatur, quod Regio est figuræ commodissimæ, nam *circularis* est, Ideoque una pars possit citò præstare opem alteri, quum contiguæ sint, saltem non longè distantes.

Alia Res est quæ multùm promovet dignitatem Regni Galliæ, quòd si Captivus aut Mancipium quamvis sit *Turca* aut *Tartarus*, Maurus aut Muscovita, vel cujuscunque alterius nationis sub Cœlo, si Terram Galliæ semel attigerit, eo instante fit Liber, & quasi Manumissus a Captiverio, Secundum Canonem Legis Galliæ quem Bodinus memorat, *Servi peregrini ut primùm Galliæ fines penetraverint, Liberi sunto*; Inter alia exempla hæc sufficiant; Mercator quidam Tolosæ appulit secum ducens Captivum quem *Hispaniæ* emerat; Captivus certior factus legum Franciæ, & privilegiòrum in hoc particulari, sobriè dicebat suo Domino his verbis; Domine, Tibi servivi huc usque qualitate Mancipii, & Captivi, sed jam consuetudine & legibus hujus nobilissimæ Regionis Liber sum; tamen tanto te prosequor affectu, ut contentus sim Tibi servire in posterum, sed in conditione Liberi hominis, & stipendiarii, sed non Captivi. Similis casus contigit obsidione Civitatis *Metæ*, ubi Captivus quidam fugit a suo Domino Don *Ludovico de Avila* cum suo equo etiam & armis; Don *Ludovicus* Tympanistam misit Duci *Guysiæ* petitum suum Captivum, cum equo; Dux certior factus quod equus jam venditus erat, mandavit pecunias mitti Hispano quas acce-

acceperat pro equo, sed quantum ad Hominem spectabat, in mandatis dedit, ut dicerent *Don Ludovico de Avila*, Illum esse jam in Terra Francorum, ideoque consuetudine, & Legibus Regni liber factus erat: In summa, *Gallia* tam generosum & prænobile Regnum est, quod ut sol inter cætera Cœli Luminaria coruscat, & radios suos ejaculatur, ita *Gallia* inter omnia Regna effulget.

Argumentum Secundum, productum

A Nobilitate Regionis.

PRogredimur jam a nobilitate Regni, ad nobilitatem *Regionis Galliæ*, ad Ubertatem, & affluentiam Terræ; nec minùs ad temperiem, alacritatem, & salubritatem Climatis; seu potiùs *Climatum* Illius; Nam *Gallia* particeps est temperiei diversorum Climatum; *Normanniæ* clima idem quasi est cum *Anglia*; *Picardiæ* & Burgundiæ cum *Germania*; *Provinciæ* & locorum quæ Alpibus contermina sunt *Italiæ*; Aquitaniæ clima, præcipuè tractus terræ qui Pyreneis saltibus appropinquant, idem quasi est cum Hispania; & *l' Isle de France* Insula Franciæ quò Lutetia stat, cum terris circumvicinis, habet singulare & distinctum clima sibi proprium; Hæc diversitas Climatum Regionem integram fertiliorem reddit, & locupletiorem varietate Rerum.

L Neque

Neque est Gallia pinguis solùm, & generosa Terra, plenaque medulla, sed est æque jucunda, & delectabilis; utile miscetur dulci; Quod ad primum attinet, non invenitur Regio in Terris ubi magis viget *Agricultura* suppeditans panem qui est baculus vitæ in tanta abundantia tam sibimetipsi quam exteris; Pauci ingrati Agri ibi occurrunt, Ita ut vocari possit *Cereris Granarium*; pari etiam modo possit appellari *Bacchi Cellarium* ob innumeras Vineas qua Terrenum copertur, cum infinita sorte fructuum; Quapropter descriptio quam *Salvianus* dat Aquitaniæ, possit competere universæ Terræ, cum eleganter ait suis verbis; *Illic omnibus admodum Regio* aut intertexta est Vineis, aut florulenta pratis, aut irrigata fontibus, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut crinita messibus, ut vere possessores Illius Terræ non tam soli istius portionem, quàm Paradisi imaginem possidere videantur.

Inter hæc omnia, quatuor præcipua commoditates quas Gallia suppeditat sunt, *Granum, Vinum*, Cannabium vel *Linum*, & *Sal*; Nam sicut magnes occultam habet virtutem attrahendi ferrum & Chalybem modo quodam mysterioso; Ita tres hæ Commoditates magneticam habent virtutem trahendi aurum & argentum omnis populi, præcipuè a mineriis *Mexicanis*, & *Peruviensibus* in Franciam; Ideoque possunt appellari quatuor Galliæ elementa.

Quod ad *Granum* omnis generis attinet, *Gallicum* reputatur esse optimum; *Plinius*, qui a naturæ secretis erat attestatur Far *Galliæ* esse nitidissimi grani, & plus panis reddere quàm far aliud; *Hispa-*

Hispanus & Alii Inedia perirent, nisi supplerentur tritico *Galliæ*. Tamen Illa non exportat nisi quod superfluum est, quod illa Chymico quodam modo transmutat in Aurum Indicum; Nam tanta est Indigentia Hispaniæ quod non habeat unde sustentare pane possit centesimam partem suæ Gentis; Quamobrem quando aliqua Navis ibi appellit onusta tritico, sub ipso possit illud convertere in monetam, aut ditissimas merces via *Commutationis*.

Quantum attinet ad *vina* Gallica, dici possit Illis non *opus esse hedera*; Quam vastæ quantitates transportantur in Occidentales, Borealesque plagas mundi! Bodinus refert quendam Mercatorem *Cambrensem* in una vindemia emisse 33000 dolia vini; Et observatu non indignum est quanta sit undique varietas vini; nam distantia omnis vicesimi Milliaris, nova species vini semper reperitur; In quibusdam locis Burgundiæ & Campaniæ, Vasa, seu dolia Vini inveniuntur magnitudinis domus, non inferiora Illis Heldesberghæ Tubingæ, ut Ingeniosissimus Lansius Scriptis tradit.

Quod ad *Cannabinum*, seu *linum* Galliæ spectat; quantum immensi lucri ex eo provenit universæ Genti! nam quamvis sit vegetabile despicatissimi generis & male olentis, Tamen tanta est ejus virtus, & vigor, ut transmovere possit Romam ad Herculis columnas, Ægyptum ad Italiam; ambas Indias ad Angliam, & Bataviam; oppugnare potest Regem ventorum, imo Neptunum Maris Imperatorem, intelligo Turbines & tempestates unius, fluctusque & tumescentes undas Alterius; Jam vero, ubi terrarum crescit hoc mirum Vegetabile

tabile majori in abundantia quam in Gallia? Neq; sibi soli administrat, sed vela suppeditat aliis Navigantibus ad utrumque polum; nec vela solùm, sed Indusia tergo, ac linteamina cubili, & mensæ.

Quantum attinet ad quartum Galliæ elementum, *viz. Sal*, tam sapidum reperitur in Arcis Regis quod inde extrahit viginti centum mille libras quotannis a tributo seu vulgo Gabella ejus; Quanta modiorum millia exportantur aliis Regionibus præter vastam illam proportionem quæ expenditur in Gallia ipsa? Pro concesso datur Hispaniam quoque sat salis habere, & ad superfluitatem, sed sal *Hispanum* majoris est acrimoniæ & magis corrosivum quàm *Gallum*; Quapropter, ut *Lansius* memorat, cùm Imperator Carolus quintus Diploma promulgari mandavit ut nemo sal alienum importaret in *Belgium*, universus populus insurgere paratus erat, eo quod Sal Hispaniæ quod solùm importari permittebatur, non erat tantæ dulcedinis, & virtutis quantæ erat Sal Gallicum; præcipuè sal *Rupellæ* quo si carnes condiantur, & Naves Mercatoriæ illo suppleantur quæ velificare solent usque ad utrasq; Indias, tam saporosa erit caro reditu Navis, quam in principio erat; ut frequenter constat experientia Navigatorum.

Quod ad Aerem, & temperaturam Climatis per universam Galliam, valde mitis, moderatus, & jucundus est. Hinc oritur vivacitas, generalis lætitia, & vigor habitantium; Rarissimum est ibi invenire fœminam tristem, nubilam, aut Saturnini humoris & melancholici; Quo proverbium videtur fuisse fundatum, Quod ut uxor completa

sit,

ſit, oportet ut Angla ſit uſque ad collum; ab umbilico ad pedes ſit Germana; A genibus inferiùs Hiſpana; Sed a collo ad pectus *Galla* ſit, quoniam cor ibi ſitum eſt quod in Gallicis Fœminis ſemper palpitat gaudio, & rarò tabeſcit triſtitia, vel curis cogitabundis, neque, ut ſcitè obſervatum eſt, ſolent Fœminæ Gallicæ Hilares, jucundæ, & jocoſæ eſſe, ſed etiam ſollicitæ, prudentes, & ingenioſæ ſunt, imò judicioſæ; Nam Caſſanæus memoriæ prodit in ſuo *Catalogo Gloriæ Mundi*, quod in Illo celeberrimo fœdere quod ictum fuit inter *Gallos*, & *Pœnos* particulari articulo, pactum fuit, Quod ſi *Gallo* aliqua Injuria oblata eſſet, Index foret rei *Carthaginienſis* Magiſtratus; Sed ſi Carthaginienſi aliqua offeretur injuria, Gallicæ *Fœminæ* forent Judices facti. Colophonem addam huic Argumento concinnis Baptiſtæ Mantuani numeris, quibus hunc characterem dat Gallorum.

Ignea mens Gallis, *& Lactea corpora, nomen*
A candore datum populis; muliebria tingit
Ora color Tyrius; Paphium meditata colorem
Ex geminis fecit natura coloribus unum;
Læti, alacres, luſu, choreis, & carmine gaudent,
In Venerem proni, proni in convivia, proni
Ante dapes ad ſacra Deum ſervire, Jugúmque
Ferre negant, fugiunt figmenta, & hypocriſin, ore
Liberi, & ingenuus mos eſt, tetricoſque peroſi, &c.

Tertium Argumentum deductum

A Nobilitate Regiminis.

FOrma Gubernandi in Regno Galliæ partim Civilis est, partim Polemica; est mista moderatio inter Pacem & Bellum, conflata tam à militari Disciplina, quam a Civili Justitia, eò quòd Francia habens oras, seu margines & confinia, tamque potentes Vicinos Illi Terrâ contiguos, non potest, sicut alii principes, conjungere pacem cum securitate, sine armis; Regi Galliarum convenit ut Herculis instar semper habeat clavum in promptu.

Quantum attinet ad Regimen militare, exactissimum est; plurimæ cohortes tam pedestres quàm equestres quas vocant Regimenta, ascribuntur, & perpetuo astringuntur stipendio, qui in promptu sunt quandocunque res & tempus postulaverint; Quælibet provincia habet Gubernatores, nec non subalternos Rectores, & præsidia huc illuc dispersa, quod Regi oportunitatem offert promovendi *Nobiles.* Sed cautum est summa prudentia ne quis Gubernatorum lædere Majestatem possit, aut loca suæ fidei commissa in alienas manus tradere, quia consultò præfectus militiæ ita divisi sunt, ut unus habeat oculum semper fixum super alterum non sine quadam æmulatione; præterea quamvis *Gubernator* præcipuum provinciæ habeat imperium, & Capitalis Urbis ejusdem sub Rege, tamen alii

alii ſunt Inferiores & locum tenentes Civitatum Rectores, qui immediatè derivant etiam authoritatem ſuam a Rege Ipſo, & ſuo diplomate, vel litteris patentibus, quo potentia Gubernatoris reſtringi, & cohiberi videtur ne aliquid mali moliatur; Imo, ſæpe accidit quod Civitas habeat unum Gubernatorem, & Caſtrum, vel præſidium ei annexum habeat alterum, qui æmuli ſolent eſſe inter ſe: ſola Terra *Provinciæ* vendicat privilegium, ut *Gubernatorem* habeat ſine Locumtenente.

Nobilitas, & Generoſi Galliæ Illi ſunt, qui ſoli videntur participare prærogativas Coronæ; A qua deducunt Regium quoddam dominium in ſuos *Tenentes*, *viz.* ſuos Aratores, & vindemiatores, quos etiam *vaſſallos* ſuos vocant; Obligantur nobiles tenore Terrarum quas Rex Illis donavit in feudo, ei ſervire, cùm res poſtulaverit, equis & armis per tres menſes gratis vel propriis expenſis virtute edicti quod vocant *Ban, & Arriere ban.* Jam verò ut in tempore Belli nobiles maxima ſubeunt pericula, & labores, onuſque negotii; Ita poteſtas eorum tum maxime dominatur in reliquos ſubditos; Veruntamen pacis tempore Rex ſolet connivere, & permittere Inferiores perſonas iis opponere, & contentus eſt, ut ſeſe conſumant litibus, & proceſſibus, vel aliis modis, ne minus opulenti evadant & ſic reddantur aptiores ad inſurgendum; Nam Axioma politicum eſt apud Gallos; Quod ut Nobilitas maximo uſui ſunt contra Vim exteram quando Regnum poſitum eſt in aliquo diſcrimine, ita maximo ſunt Illi incommodo ſi non rectè applicentur;

centur; Jam verò, Antiqua Galliæ Nobilitas multùm diminuta fuit in expeditionibus Terræ Sanctæ; nam ad se apparandos Illi Bello plurimi Nobiles aut vendebant allodia sua, & feuda, fundosq; aut oppignorabant eos *Ecclesiæ* (vel aliis) pro nummo numerato, qui non redimuntur usque ad hunc diem; Itaque multi sunt in opinione positi, quod Ecclesia Gallicana hac tempestate possideat tertiam partem Allodiorum Regni; Et ob Prædictam Diminutionem, Gallica Nobilitas restaurata fuit de tempore in tempus ex Advocatis, Mercatoribus, Regisque Redituum Collectoribus, & aliis ejus farinæ; qui, opulenti facti, favore Regis (& coronarum auri) indies ad honorem promoventur, & sic Nobiles gradatim facti sunt.

Sic se habet *Polemica* Gubernatio Galliæ in ordine ad Militiam, & Res militares, quibus Nobiles solùm præficiuntur, qui numerosiores sunt in Illa Regione quam alibi; Quo fit, ut veræ Regulæ Monarchiæ observentur, quæ præscribunt, quod *Rex mandet, Nobiles exequantur, ac populus obsequatur*, & reverà populus nil aliud saperet quam scientiam Obediendi.

Jam verò, Canon principalis Politiæ Gallicæ est, Plebem, & Populum sub jugo perfectæ obedientiæ cohibere, ne penes eum sit aliquid mali intentare. Nam tam fluxæ indolis est, ut novitati semper studeat, & inhiet; quapropter quod plebs Gallica tam indigens, & emancipata sit, gratias sibi ipsi agat; quia si divitiis & plenitudine referta esset, contra equisessorem suum continuò calcitraret; Nam experientiâ indies constat, quod non

non fit aliud inftabilius animal, aut obftinatius immaniufque monftrum quàm Plebecula; Et hoc nuperi in *Anglia* populares tumultus fatis fuperq; demonftrarunt.

Quod ad Politicum feu *Civile* Regimen Galliæ, & adminiftrationem Juftitiæ attinet, tantæ eft æftimationis quod diverfi principes exteri remiferunt fuas lites determinandas Parlamento *Parifienfi*, ficut ad Confiftorium fublimis judicii, & integritatis; Memoriæ proditum eft, quod Imperator *Fredericus fecundus* remifit controverfias inter Illum & Papam *Innocentium quartum* de Regno *Neapolitano* decifioni hujus Tribunalis, eafque definitivè judicandas fine Appellatione. Comes *Namurci* in lite magni momenti fe fubmifit fententiæ dicti Tribunalis; *Philippus* princeps *Tarenti* evicit Ducem *Burgundiæ* in hac Curia de fumptibus quos fecerat ad recuperandum Græcum Imperium; Duces Lotharingiæ in diverfis caufis fe fubmiferunt arbitrio & Juftitiæ hujus Tribunalis; *Cameracenfes*, quando liber populus erant, contenti fuerunt fubire judicium hujus Curiæ; confæderatio etiam Regnorum *Caftellæ*, & *Lufitaniæ* confirmata fuit ab hac Curia.

Jam verò caufa, qua hæc Curia tantum honorem adepta fit, eft, quia nemo admittitur in illa confidere nifi fit perfona notæ probitatis, eruditionis, & æftimationis; Quod induxit *Henricum* fecundum dicere, cùm quædam princeps eminentiffimi gradus importunè eum efflagitaverat ut admitteret quendam ad illud tribunale qui erat imbecillis judicii, & ob id rejectus, hæc verba lepidè proferre, *Je penfois que parmy tant de ginets un Afne pourroit bien paffer.* Præ-

Præter hoc Parlementum seu Curiam *Parisiensem* plurima alia Parlementa sunt, nec non *Sedes præsidiales* stabilitæ in diversis Regni provinciis æquali ac apposita distantia, ne Clientes minis longa itinera facere cogantur ad petendam justitiam, nec pauperes opprimantur a divitibus ob defectum pecuniæ ad facienda talia itinera, quo lis nonnunquam deficit, & cessat indeterminata, ut sæpe advenit in *Anglia* in provinciis maximè remotis a Civitate *Londinensi*, cui omnia Justitiæ tribunalia alligantur.

Imponemus finem huic Argumento selecto Poemate Ludovici *Bolognini* celebris Jurisperiti.

Francorum Reges sacro sub nomine nati
Consilio semper valuerunt, semper & Armis,
Sanctaque fautores bonitatis jura tenentes
Appellat Romana suos Ecclesia gnatos,
Et primogenitos, *tali sunt nomine digni;*
His Deus Imperium dedit, & sua jura tuetur,
Unguntur, fiunt sancti quicunque creantur.

Quartum Argumentum deductum

A Religione, & Nobilitate Ecclesiæ Gallicanæ.

Quidam Authores inter alia præconia Galliæ, affirmant quod cum Salvator Mundi in Cruce pendebat, Faciem habuit Galliæ obversam, Quo inferunt

inferunt benedictum fuisse augurium quod Religio Christiana maximè efflorescerct in illa Regione; prætcrea miranda res est, & revera incomparabilis quòd ante passionem *Domini*, sacrum fuisse Fanum in Gallia, quod vocabatur *Ecclesia Carnotensis* dedicata *Virgini Parituræ*, ut in Annalibus fide dignis constat, sicuti legimus etiam Altare erectum fuisse in Græcia cum Inscriptione τῷ ἀγνώστῳ θεῷ. Quod induxit Imperatorem *Julium Cæsarem*, qui benè noverat indolem Gallorum, eò quod Illos perdomaverat, & subegerat sub jugo Romano, dicere, *Natura est omnium Gallorum* admodum dedita Religioni.

Et ut in obscuris Paganismi temporibus, tam devoti esse observabantur; Ita post quàm gloriosissimum Christianæ Religionis lumen illuxit, & lilia irradiavit, *Gallica* gens singulari *Pietatis* zelo accensa fuit; Et hæc divina lux radios suos vibrare incepit summo mane; Nam in Ecclesiastica Historia constat Sanctum *Irenæum* unum ex primitivis Ecclesiæ Patribus fuisse Episcopum *Lugduni*, qui discipulus fuerat *Polycarpi*, & Polycarpus fuerat discipulus Sancti *Johannis Evangelistæ* a quo missus erat ab *Asia* ad Gallicam gentem prædicandi, plantandi, & propagandi Christianam Fidem ut Sanctus Hieronymus refert; Sanctus Hilarius qui alius erat patrum primitivorum, Episcopus etiam fuit *Pictavum* in Gallia, ubi composuit excellentissima sua opera quæ partim expositoria sunt, partim polemica, quamvis in suis scriptis nonnulla occurrant Vocabula obsoleta, ut *disfrocine* pro degenerare, Zabulus pro *Diabolus*, &c.

Quanta

Quanta multitudo Piissimorum Martyrum viguit inter Gallos! nam in singulis *decem* persecutionum plures Galli semper erant qui *Fidem Christianam* suo sanguine signabant: Tempore Imperatoris *Valerii* celebres extiterunt Galli Martyres, ut *Florentius* Episcopus *Viennensis*, Pontius Cassius *Victorinus*, *Liminius*, *Anatolianus*, cum multis aliis quorum *Gregorius Turonensis* mentionem facit, & quorum nomina in albo Martyrum inseruntur in perpetuum; Et hoc erat ante quàm *Novatiana* Hæresis irrepserat inter Gallos, aliasq; Regiones infecerat.

Imò vero, ut ad originem seu scaturiginem Christianæ Religionis transeamus, non desunt Authores quidam, qui asseverant Sanctum *Paulum* prædicâsse in *Gallia*, & quod principalis Ecclesia in civitate *Viennensi* ab Illo fabricata fuit, secundum hoc carmen in ea insculptum.

Paulus *præco Crucis Tibi dat primordia Lucis.*

Alii sunt qui affirmant Sanctum *Petrum* fuisse etiam in *Gallia*, & quod *Lazarus*, *Maria Magdalena*, *Martha*, & *Marcella* appulerunt *Massilia*, ut constat in quodam antiquissimo manuscripto, cujus Cardinalis *Baronius* mentionem facit; Et circa illud tempus *Josephus Arimathea*, nobilis Ille Decurio per *Galliam* transivit cum prædicta Sancta *Marcella* ad *Britanniam*, quæ divino spiritu afflata, clamavit alta voce cùm Christus prædicabat, *Beatus venter qui Te peperit*, & *ubera quæ Te allactabant.*

Spen-

Spencæus etiam memoriæ prodit quod Sanctus *Lucas* extitit in *Gallia*, & *Savinianus* unus ex Septuaginta duobus discipulis, cum *Martiali*, quem aliqui affirmant eum esse qui vendebat quinque panes hordeaceos, & duos pisces quibus Salvator noster quinque mille personas saturabat.

Et si Sacræ Sanctorum Reliquiæ addere possunt aliquid Nobilitati Regionis, Ecclesiæ Gallicanæ earum plenæ sunt. Reperies *in* Gallia, *ut* Cassanæus *memorat*, *omnes Christi exuvias*, *quippe præputium*, *Inconsutilem Togam*, *spineum diadema*, *crucem*, *clavos*, *spongiam*, *lanceis cuspidem*, & *sindonem cum qua sepultus est*: *Cassanæus* progreditur ultras & affirmat, quod in Burgundia Corpus *Lazari* sepultum jacet, cum *Mariæ Magdalenæ* cineres in una nobili arca servantur, eosque Marthæ, *Martialis*, cum tribus *Mariis*; His adjiciatur caput Sancti *Johannis Baptistæ*, & digitus quo immaculatum Dei agnum indigitabat; Undecem mille Virgines in *Gallia* servantur, & Reliquiæ etiam Sancti *Dionysii*, *Martini*, *Cosmæ*, *Damiani*, *Sebastiani*, aliorumque Heroum Christianorum in *Gallia* reperiuntur; *Claudii* etiam & *Edmundi*, quorum corpora, carnes & ossa ad hunc usque diem extant, & visitantur a Myriadis peregrinorum; Inveniuntur ibi etiam gemelli, Sanctus *Germanus*, Sanctus *Hilarius*, & Geneveva cum plurimis aliis; Non heic omittendum est Corpus Sancti *Quintini* Martyris celeberrimi qui Civitati nomen indidit, quæ ante vocata fuit *Samarobrina* a fluvio *Samonia*, Qui beatissimus Martyr post varias acerbas persecutiones, & supplicia sub *Dioclesiano*, & Maximiniano saltem decapitatus fuit,

&

& Corpus cum capite conjectum fuit in amnem *Samoriam*, quò jacuerat pluribus annis, usque dum Romana quædam Matrona vocata Eusebia ab Angelo præmonita ad investigandum Corpus illuc advenerat, quo invento, subito illi curabat dolorem oculorum; Ideoque sepeliebat Corpus cum capite subter terram quo Insignissimum Sanctuarium postea erectum fuit quod adhuc vocatur Ecclesia Sancti *Quintini*; Sed trecentis annis prætérlapsis tempore Regis *Dagoberti*, Corpus & caput prædicta a sepulchro extracta fuerunt, & in Cista auri inclusa ubi ad hunc diem usque remanent, ad quæ visitanda Innumeri devoti Peregrini indies confluunt ob diversa miracula quæ ad salutem humanam spectantia ediderunt, ut Cassanæus memoriæ prodit.

Quod ad magnificentiam Fabricarum in Gallia quæ erectæ fuerunt, & consecratæ Divino cultui, ut Basilicæ, Templa, Ecclesiæ, Sanctuaria, aliæque Domus Christianæ devotionis, non vigent in superficie totius Terræ pulchriores structuræ, & monumenta Pietatis, cum multitudine conventuum, Monasteriorum, & Abbatiarum; Quam gloriosum, & revera stupendum ædificium est Illud Carthusiani Monasterii in *Provincia* ! Vocari meritò possit una Respublica Christiana ob amplitudinem & numerum devotorum, Reditusque annuales habet, quæ supremo cuidam principi convenirent.

Quantum ad divitias, fundos, & facultates spectat, non lucet ulla Ecclesia tanto splendore, quanto refulget Gallica in universo Christianismo; Nam Reditus Ecclesiasticorum Galliæ in ultimo

censu

censu qui factus erat, computabantur centum & viginti centum millia librarum, summa stupendissima; Et revera opus est quod Ecclesia *Gallicana* tam vastos reditus habeat ad sustentandos tam infinitum numerum Monachorum, Abbatum, Presbyterum, & Monachorum cum aliis spiritualibus personis; Nam inter Gallos sunt quindecem *Archiepiscopatus*, & centum quinquaginta *Episcopi* suffraganei (cum pluribus ditissimis Abbatibus) Tanta etiam reverentia *Mitro* in Illa Regione præstatur, quod quilibet Episcopus est a Consiliis privatis Regis, ratione Dignitatis suæ secundum leges & Sanctiones Terræ, etiamsi pauci eorum ad Consilium accedant, nisi moniti sint litteris ad id a Rege missis.

Quintum Argumentum deductum

A Nobilitate Subditorum.

IN tertio Argumento quod præcessit, leviter loquutum fuit de Nobilibus & Generosis *Galliæ*, eorumque multitudine, & de variis quos Rex habet privilegiis eos promovendi, & ad honores, ac munera militaria evehendi fratres Nobilium minores; nam primogeniti habent Patrimonia, & latifundia instar principum quibus lautissimè dignitatem suam conservant, eosq; eminere faciunt; Nam ultimus Dux *Guysiæ* Palatia tam magnifica, & hospitalitatem, cum tanta Servorum multitudine,

tudine, & domesticorum habuit quod conveniret Principi supremo; Nam ducenti nobiles seu generosi Ducis quadra quotidiè vivebant, Quorum unicuique tam ampla stipendia quotannis dabat, aut fundos locitabat, ut indè possent splendidè vivere, in equestri quodam gradu, quod induxit quendam Duci amicum Illi dicere quod converterat omnia sua *Allodia in Obligationes*, quo intimare voluit Ducem obligasse tantos locando Illis feuda tam levi reditu.

Negari tamen non potest duo subditorum genera vivere indigenter in *Gallia*; *Colonum* scilicet & *Vindemiatorem*; Sed Illi qui sunt in Urbibus ut Mechanici, Officinatores, & tabernarii lautiùs vivunt; sed maxima pars Regni opulentiæ est in possessione Nobilium qui inde magnificè vivunt.

Inter alias Galliæ Nobilium qualitates observatur, unam esse quod Regem suum extraordinario affectu prosequi soleant; Varia se offerunt exempla quam fideliter hæserunt suo lateri quando in aliquo discrimine positus erat, sese in aperta & inextricabilia pericula conjicientes; ad personam suam eliberandam. Quod ad Artem equitandi attinet, non est alia natio quæ Gallicam antecellit, aut majori decore equi tergo splendescit; Galli nobiles animosi, & prompti sunt non solum in bello & præliis publicis sed in privatis certaminibus, nam plura *Duella* committuntur in Gallia, quàm in ulla alia Regione: Galli nobiles sunt gloriæ avidissimi, & valde solliciti ad honorem semel adeptum conservandum.

Imponam finem huic argumento Poemate quodam huic materiæ non inepto;

Gallia

Gallia fert acres animos, & idonea bello
Corpora, non Illis ausit componere sese
Thracia quæ Martem genuit, non Parthia versis
Quæ bellatur equis fugiens, licet inclyta Crasso
Facta sit extincto signisque superba Latinis;
Quas Gentes olim non contrivere? per omnem
Invecti Europam quasi grando Aquilone vel Au-
Importata gravi passim sonuere tumultu; (stro
Scit Romanus adhuc, & quam Tarpeia videtis
Arx attollentem caput Illo in monte superbum;
Pannones Æmathii norunt, scit Delphica Tellus;
Quam nisi terrificis subitò convulsa ruinis
Oppressisset eos non defendisset Apollo, &c.

Sextum Argumentum

A plenitudine Regiæ potestatis deductum.

NON viget alius Monarcha inter Christianos qui pleniorem habeat potestatem, eamque omnibus numeris magis absolutam quàm Rex Galliarum, nec qui tam sublimibus prærogativis dotatus sit; Penes Illum est denunciare Bellum, aut inire fœdera cum exteris nationibus; solus is est qui convocare, aut dissolvere publica Comitia possit; sola Illi est potestas condonandi; sola Illi potestas datur nobilitandi, & Naturalizandi Alienigenas; Cudendi, & imponendi valorem monetæ; Ille solùm potest ad bella cogere; Imò potestas Illi defertur condendi leges,

imponendi vectigalia quandocunq; libuerit; nam omnia hæc agit proprio motu & Marte, suisque Regiis Edictis; Et, quum sua edicta confirmari solebant proximis Comitiis sive conventione Trium Regni Statuum, *viz.* Ecclesiasticorum, Nobilium, & Populi. Illa conventio tam rara & infrequens facta est, quàm concilium Oecumenicum, nam plus quàm quinquaginta anni elapsi sunt ab eo tempore quo ulla convocata fuit.

Præter Regias Coronæ possessiones & Allodia Rex *Galliarum* habet quatuordecem genera vectigalium ad Regnum & amplitudinem suam tutandam, & propagandam; habet 2. La Taille; 3. Le taillon; 4. Les Aides; 5. Les equivalents; 6. Les æquipollents; 7. Les Breves, ou Augmentationes; 8. L'octroy, ou la Benevolence; 9. La Gabelle; 10. Les Imposts; 11. Le haut passage, ou domain forain super merces exportatas; 12. Les Trait forain super mercimonia importata; 13. La solde de 50000 soldats; 14. Les dismes; singulæ istæ Impositiones seu plurimæ earum originem habuerunt a *Ludovico* undecimo; verum est, quòd ut Res & tempus postulabat, antea in usu erant, sed quæ priùs erant pro tempore, *Ludovicus* reddidit perpetuas; præterea si hæc quatuordecem chordæ Regio Arcui non sufficiant, penes Illum est novas texendi ad libitum; Atque hac prærogativa Rex Galliæ antecedit tam Magnæ Britanniæ quam Hispaniæ Reges; Et reverà hoc est quod Illum reddit tam potentem, & formidabilem, Nam hoc modo onerare potest Asinum auro ad perrumpendum satellites, & mœnia aliter inexpugnabilia: Nam Arcæ moneta bene Saburratæ

reddunt

reddunt principem domi foriſque formidandum, quum nummi Indigentia faciant eum deſpicabilem, & ſcommatibus obnoxium, ſecundum Adagium inter Hiſpanos, *Don ſin dinero no es Don ſi no donayre*; concludam Græco Poeta qui ſic appoſitè canit,

Ἀργυρέαις λογχαῖσι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις.

Cui Latinum etiam carmen exactè, & verbatim correſpondet,

Argenteis pugna telis, atque omnia vinces.

Septimum Argumentum

A potentia Regni Gallici deductum.

NON eſt Alia tam unita, & Intrinſeca potentia; talis pharetra Sagittarum, ſeu nodus fortitudinis alibi non invenitur quàm in *Gallia*; Habet triginta mille Parochias, quo conſtat, quod conſcribentes decem homines in quavis Parochia, exercitus apparari poſſit ducentorum, & quinquaginta mille hominum; Præterea Civitas *Pariſienſis*, ingens Illa machina, & miſcellanea omnium gentium alios tantas emittere poteſt ſi neceſſitas requiſiverit. Jam verò affirmari poſſit Regnum *Galliæ* nunquam fuiſſe tam potens & integrum quam in ſtatu quo nunc eſt a tempore *Caroli Magni*, quod diverſis rationibus probari poſſit; prima eſt, quia *Calviniſtæ* quos Huguenottos vocant, debellati ſunt, & ad perfectam obedientiæ

regulam adducti, qui antea judicabantur esse maxima Franciæ infirmitas; nam sæpe fuerunt ut fomites ad accendenda bella & tumultus intestinos in visceribus regni excitandos. Dici possent esse *Regnum* in *Regno* habentes ducentas Urbes cautionarias & multas earum præsidiis suis munitas: Ipseq; Rex adeorum stipendia solvenda contribuebat; Quarum Urbium duæ mandabant Fluvio *Ligeri* qui intercurrit Regnum; Aliæ Urbes erant sitæ ad littora Maritima, ideoque aptè positæ ad recipienda extera auxilia, ut *Rupella* cujus Reductio pulicem, ut aiunt, in aurem *Hispani* immisit; nam si putarat *Angliam* Illi succurrere non voluisse, Ipse auxiliatrices copias miserat ad solvendum obsidium; Quod induxit *Cardinalem de Richelieu* ostentare quod subegerat *Rupellam en depit de Trois Roys*, viz. Regum Angliæ, Hispaniæ, & Ipsius Galliæ, qui diu anxius hæsitavit in Illo negotio; Jam vero omnes Illæ Urbes præsidiales sunt in manu Regis, & liberæ præsidiis; Itaque prædicti Calvinistæ jam dependent solo nutu Regis, & incolumitatem recipiunt ab ejus voluntate, quia reducti sunt ad exactam Obedientiam; Quod magnum opus quinque præcedentes Reges moliebantur, sed nunquàm potuerunt illud perficere.

Secundò Gallia est potentior in statu quo nunc est quàm in sæculis retroactis solebat esse, ob tres claves quas Cardinalis *Richelius* legabat Regi Galliæ, quorum prima erat Civitas *Brisac* ex qua *Germaniam*; Secunda *Pignerol* ex qua *Italiam*, tertia clavis est *Perpignan* ex qua *Hispaniam* poterit intrare, & irrumpere quando libuerit, Cui subjungatur Comitatus *Russilionis*.

Ter-

Tertia Ratio quod Rex *Galliarum* potentior sit suis prædecessoribus, est quod *Lotharingiam* subegit quæ obligata erat antea homagio Imperatori, & quæ murus seu munimen erat inter *Galliam* & *Germaniam*.

Quarta Ratio est, quod præsidium exterum quod erat in principatu *Auriaco* dimittitur, & Castellum immunitum est: postremò *Gravelinga*, & *Dunquerca* cum aliis Belgicis Civitatibus adduntur *Galliæ* dominiis; His rationibus bene trutinatis, clarissimè constat potentiam *Regis Galliarum* multùm crevisse, & Majorem esse impræsentiarum, quàm erat sub regimine suorum Antecessorum.

Octavum Argumentum

Ab opulentia, & fertilitate Galliæ deductum.

IN Argumentis quæ ante fuerunt producta mentio facta est quatuor præcipuarum Galliæ commoditatum, *viz. Grani*, *Salis*, *Lini* seu *Cannabis*, & *Vini*; Sed his adjici possit sericum, Oleum, Crocus, & telæ linificæ mille generum cum aurantiis, citreis, cedromelis, & diversissima sorte cujuscunque delicati fructus; nec *Ceres* & *Bacchus* habent ibi solum sua Palatia, sed *Flora* etiam dominium habet infinita varietate fragrantium, & suavissimè redolentium florum, cum omni genere leguminum, & herbarum sanissinarum ad acetaria conficienda; *Pomona* etiam ibi dominatur, &

excultiores suos hortos, & viridaria habet; nam in Normannia Inferiori optima bibitur *Sicera*, & observatur, quod Illi qui Siceram habent pro communi potu, vultus rubicundioris sunt quàm Illi qui vinum solummodò potant; Pinguiora latifundia, & amœniora irrigua prata nusquam occurrunt, cum multiplici armentorum specie, oviumque ex quarum lana optimi panni fiunt; nam *le drap de Berry* valde celebris est, cum holosericis *Turoni* telis, tam nitidus color coccineus nusquam terrarum reperitur; Quam innumera Apium examina occurrunt in hortulis cujusque coloni, cum abundantia mellis! Quam frondosæ sylvæ, & anticoma nemora undiq; conspiciuntur, cum Forestis & Vivariis plenis cervorum armentis, aliisque Feris pro venatu & voluptate! Forestæ in quibus ipse Sylvarum Deus solet venatum ire; Nam mirum quoddam spectaculum, ut in Annalibus Episcopi *Rhodensis* qui contexuit recentem Historiam Henrici quarti Regis Galliarum, memoriæ proditur; dico mirandum fuisse visum spectaculum in Foresta contermina Fontainbleau, ubi cùm solennis dies venandi statutus fuit, dum Rex feras persequebatur, ululatus aliorum canum auditus fuit è longinquo; tandem appropinquans, procecerus quidam homo apparuit cum suis canibus qui hæc verba alta voce ter proferebat, *Amendez vous, amendez vous, amendez vous*, & sic evanuit; cum Venatores & Officiales Forestæ examinati fuerant hac de re, responderunt, quod Ille Homo niger sæpe conspectus fuit venando cum catulis suis, & subito solebat evanescere, sed nil mali aut damni faciebat; Ideoque

non

non posset esse Cacodæmon, ut quidam imbecillis Judicii homunculi asserunt, omnes aereos spiritus esse.

Indaginem faciamus in meditulliis, & Visceribus Terræ Gallicæ, & plurima loca mineriis, & purissimo marmore pregnantia reperiemus; Quod ad scaturigines & Amnes perdulcium aquarum, Fluviosque navigabiles attinet, non occurrit ulla Regio sub Lunæ concavo meliùs rigata; Flumina quæ portant navigia cujusque generis, & per centrum Regni interfluentia, commeatus, & mutua commercia mirè promovent, quam celebriores Galliæ Civitates sitæ sunt ad ripas Fluminum navigabilium, quorum nonnulla tam delectabilia sunt, ut dicantur esse segmentata Ciginis, instita gammaris, & constrata truccis; Si sursum conjiciamus oculos, videbimus Regiones Aeris quasi obnubilatas omni genere Volatilium, In summa quodcunque aut Aer, aut Aqua, aut Terra suppeditare solet vel usui communi & necessitati, vel luxui & voluptati humani generis, Gallia exuberanter abundat usque ad superfluitatem.

Lutetia Civitas est tam repleta omni genere provisionis, quod, ut Baro *Vinier* affirmat, si possible esset ad convivium vocare luxuriosissimos Romæ Epulones, ut Apicium, Lucullum, & Pompeium cum pluribus aliis, nondum peteret nisi monitionem unius diei, & exciperentur dapibus tam exquisitis & delicatissimis pulpamentis quod agnoscerent *Romam* nunquam habuisse tales: Quanta hospitia inveniuntur quotidiè Parisiis, quæ ordinarios pastus exhibent quatuor Coronarum auri, patinæque & omnia fercula sunt argentea; Hoc in-

induxit Poetam Italum non incelebrem effundere hoc encomium Galliæ.

Gallia Terreni pars est non infima Mundi,
Sed longè lateque patens —
Terra Hominum, Frugumque ferax, Armenta gregesque
Uberiùs pascens Plebi, non languida Cœlo
Tabifico, non mortiferis infesta venenis
Ut Lybia, non perpetuis adoperta pruinis
Sicut Hyperborei montes, non torrida ab æstu
Qui faciat steriles, ut decolor India, Campos.
Non etiam noctis pallens semestribus umbris
Quale sub Arcturo positum Mare, & ultima Thule:
Sed nec ut Ægyptus quia fusa palustribus undis,
Sed Cœlo, & teneræ fœcunda uligine Terræ,
Venatu, Aucupio campos, montana, lacusque
Sollicitant, bellandi usu lætantur equorum;
Terra fatigantes, loricæ, hastilia, & arcus
Deliciæ Gentis sub dio ad Sydera somnum
Carpere, fuscari sole, & ferrugine pulchrum est
Pulvere conspergi, & graviùs sudare sub Armis
Pro Patria, pro Cognatis, pro Regibus ire
In pugnam, & gladio, & morti occumbere dulce est.

Nonum

Nonum Argumentum

A Fortitudine Gentis Gallicæ, & Rebus in bello gestis deductum.

MEmoriæ proditum est quod Alexander Magnus qui fundator fuit tertiæ Monarchiæ, *Græcæ* scilicet, cùm fama Gallorum ad aures ejus pervenerat, &c. Rerum in bello gestarum contra Italiam, cum legerat quo modo *Brennus* qui erat Illorum Dux, sed *Britannus* natione, nam minor natu filius Regis Mulmutii erat celeberrimi Illius Legislatoris, qui primus diadema Auri gestabat pluribus sæculis ante quàm Romani appulerant in Britannia; Dico quod Alexander Magnus certior factus de fama, & fortitudine Gallorum, ad eos misit *quam rem timebant maximè?* responderunt *ne Cœlum rueret*; Responsum vere magnanimum; Et necessariò oportet ut Gallica natio sit animosa, & bellicosa, eo quod Mars (planeta) sit *ascendens Galliæ*, ut Astronomi qui cum Cœlo conversari solent, ejusq; Influentiis in corpora humana, asserunt.

Ut prætermittamus alios antiquos Reges, quam triumphans & victoriosus Monarcha erat *Carolus Magnus*? debellavit Saracenos in Terra Sancta; eosque postea ab Hispania expulit; Quam gloriosus pugil Ecclesiæ Christi! nam restaurabat duos Pontifices ad sedem Apostolicam, *Adrianum* scilicet, & *Leonem*, quorum unus obsessus erat, alter exter-

exterminatus & in exilio; Hic Heros Ille erat qui resarciebat Romanum Imperium miserrimè lacceratum, & colligendo dispersas partes evexit illud ad summum honoris & potentiæ culmen; Funditus depressit Tyrannidem Longobardorum, quod opus *Pepinus* ejus pater inceperat, quæ effera natio radices altas egerat in ipsis Italiæ visceribus plus quam ducentis annis; Subjugavit Hunnos & Pannoniam, stabilivit Angliam, perdomuit Bavariam, subjugavit Hispaniam, & possedit Italiam; Eradicavit Mauros ab Insula Corsica; Carthaginienses ex Sardinia, & Saracenos ex Insulis Balearibus; Hic Heros Ille erat qui atterebat Bohemos, reprimebat impietatem Danorum, frangebat furorem Sclavoniæ, & reducebat Saxones ad civiliores ritus.

Hic Heros Ille erat quem omnes *Orientales* principes admirabantur, mittentes illi Legatos cum donis, & muneribus amplissimis, petentes inire amicitiam & fœdera cum illo; Hic Ille est, qui Fundator & Institutor fuit celeberrimæ Parisiensis Academiæ, ad promovendas Scientias, & Rem litterariam, eò quod Ipse erat eruditus & scientificus, nam præceptorem habuit Alcuinum doctissimum Anglum.

Hic est piissimus Ille princeps qui confirmabat Donationem quam Constantinus Magnus suus prædecessor fecerat Civitatis Romæ ad Vicarium Christi, & conferebat insuper Exarchatum Ravennæ Pontifici Maximo; Optimè ergo meruit coronari Imperator Occidentis, & gestare Titulum *Christianissimi* & quod Imperium duraret in suo stemmate.

Quam

Quam gloriosæ expeditiones exantlatæ fuerunt a quinque Regibus Galliæ in personis propriis ad Terram Sanctam? Videor conspicere *Godefridum* de Bouillon animatum, & corroboratum Auxiliaribus Galliæ Copiis cum oppignoraverat Ducatum suum & Dominia, progredientem cum Ingenti exercitu per *Germaniam*, *Hungariam*, ac *Græciam*, & trajicientem in Asiam in occursum Copiarum Solymanni Imperatoris Ottomanni, nec nôn Chalyphæ Soldani Ægyptus cum aliis Infidelium Regibus quos in Fugam profligabat, subigendo Nicæam, Antiochiam, imò Hierosolymam cum Sepulchro Domini; Videor intueri illum, cùm Coronam Hierosolytanam voluerunt capiti imponere, rejicientem Coronam auri, & sumentem unam spinis contextam exemplo Salvatoris Mundi; Videor aspicere omnes principes orientis Illi Tributarios, & pretiosissima dona afferentes, quamvis Ille ipse incedebat vestitu communis cujusdam gregarii militis; Quod induxit quosdam principes hoc intuentes admirari, & hæc verba proferre, unde venit quod talis Heros qui in toto Oriente sic detonuit, & tantos exercitus attrivit tam vilia induere vestimenta?

Sed ut acceleremus ad finem hujus Argumenti, descendamus ad modernos quosdam Galliæ Reges, & duo ultimi Reges tam pater quam Filius suppeditabunt sat Materiæ ad confirmandam Gallorum fortitudinem; Quod ad primum attinet Fortuna cum fortitudine certabant quænam intitularent Henricum *Magnum*; Evasit Victor in quatuor celeberrimis pugnis; In triginta quinque calidis conflictibus; In centum subitaneis con-

congressibus; obsidebat plusquàm ducenta loca, & palmam semper præripuit, Quod reddit memoriam ejus tam suaveolentem, floridam ac recentem usque ad hunc diem per universum Galliæ regnum ac si heri vixisset; Vix reperitur Civitas, aut oppidum ullius momenti, In quo statua ejus in ære aut marmore non erecta sit in ipso Foro, aut aliis locis publicis; Quo inductus quidam dixit *Una Henrici oblivio erit occasus Humani generis*; Inter mille alios inseremus heic characterem illum qui insculptus est in equo aheneo super pontem novum Sequanæ impositum & obversum nobilissimo Castro quod erigi Parisiis jussit pro Regia Curia, vel Palatio, Cujus verba ita se habent metricè.

Je suis Henry Grand Honneur de la Terre,
Astre de Paix, & foudre de la Guerre,
L'amour de Bons, la Crainte de Pervers,
Dont les Vertus meritoient l' Univers.

Ego Henricus sum, Magnus Terrarum Honor; Astrum pacis, & Fulmen Belli; Amor Bonorum; Malorum terror, cujus virtutes merebantur Universum Orbem.

Quod ad primogenitum Illius attinet, & proximum successorem Ludovicum decimum tertium, ingentia etiam perpetravit in bello facinora; Incepit gladium lateri cingere, quando vix adhuc creverat ad gladii altitudinem, qua proceritate dicunt Reges Galliæ a sua minoritate excedere, sed ante quam inde excesserat repressit duos civiles, & periculosos Tumultus in *Pictavio*, & *Armorica*;
con-

continuabat Triumphator in omni conatu bellico quod suscepit, & non novit quid erat vinci; Vicinos principes circumregnantes profligabat omnes; Bis, confragosa Alpium cacumina pervia fecit suo exercitui eundo & redeundo; Idem fecit in Saltibus Pyreneis instituens unum ex suis subditis proregem Catalauniæ; Transivit Mosam fluvium, equites ejus transvadebant Rhenum, quo Aquila Romana multos recepit *Colaphos* in Aere Germano; Postremò repellebat Anglos appulsos propè Rupellam, in Illius auxilium.

Hæ res gestæ erant foris contra exteros, prospiciamus quid domi fecit, & acta ejus apparebunt miraculis proxima. Quantas Intestinas Machinationes, & Insurrectiones perdomuit, & funditus prostravit! Quam Herculeum quoddam opus erat reducere, debellare, & obruere Calvinistas, & tanta loca munita, & præsidialia.

Opus quod quinque sui immediati prædecessores moliebantur, sed nunquam potuerunt peragere, quamvis diversissimis modis & mediis illud intentaverant.

Decimum,

Decimum, & ultimum Argumentum deductum

Ab exemplo, & Authoritate *in ordine ad præcedentiam Regis Galliarum.*

ARgumenta quæ præcesserunt appellari possunt flores, vel ornamenta Orationis potius, quàm solidæ Rationes; postremum hoc Argumentum majoris momenti, & ponderis erit; nam deductum est ab exemplis, ab authenticis Annalibus, & testimonio Antiquitatis extractis.

Nimia esset curiositas retrospicere tam e longinquo ante tempora Caroli Magni, quamvis varia se offerunt exempla a *Clodovæo* qui primus erat Rex *Christianus* inter Gallos (& viguit trecentis annis ante lapsis) quæ probant quod Reges Galliæ prærogativam habuerunt Sessionis proximæ Imperatori; Sed postquam *Carolus Magnus* habuit titulum *Christianissimi* sibi delatum, plurima exempla evidentissima, & argumenta irrefragabilia produci possunt, quod postquam devolutum fuit a prosapia Caroli Magni ad stemmata *Saxoniæ, Sueviæ & Austriæ*, Imò postquàm Domus Austriaca perveneràt ad illud culmen sublimitatis, & multitudinem Dominiorum, Reges Galliæ semper tenuerunt antecedentiam tam in Consiliis œcumenicis, quam ministrando in divinis ritibus, & ceremoniis, officiisque circa personam summi pon-

pontificis. Jam verò pro concesso est Romanam Curiam, ejusque ritus, consuetudines, & praxin regulas esse maximè idoneas & validas determinandi quascunque controversias, & dirigendi judicium in ordine ad dignitatem præcedentiæ.

Mausonius aliique memoriæ tradunt, quod Anno Dom. 1564 Pium quartum in cathedra Sancti *Petri* sedentem solenne decretum sancivit, quo Reges Franciæ debebant habere præcedentiam ab aliis Regibus, Nec in Sæculis retroactis oriebatur unquam ulla dubitatio nisi inter Illum & Regem *Angliæ*; *Hispanus* vix uno sæculo elapso contendebat pro præcedentia, quod primùm contigit post mortem *Caroli quinti*; & sicut Reges Galliæ vendicant Jus prioritatis a *Carolo Magno*, Ita Hispani tentarunt eam vendicare ab Imperatore *Carolo quinto*.

Tamen in celebri Illo conventu apud *Vervins* Anno Dom. 1598, post varias altercationes, & disputationes & agitationes quæstionis pro & contra, Legati Hispaniæ cedebant locum Gallis; & Baldus Insignis ille Jurisperitus, ut refert Purpuratus, categoricè asserit his terminis, *Nemo præsumat Honorem super vexilla Invictissimi Franciæ Regis*; Verum est quod nonnulli asserunt, quod scriptura quædam antiqua in Archivis Romanæ Curiæ reperta fuit vocata *Provincialis*, quâ dicitur Regem Hierosolymæ *primum* esse inter Reges *Unctos*, quorum non nisi quatuor sunt, *viz.* Rex *Hierosolymæ*, *Galliæ*, *Angliæ*, & *Siciliæ*; Sanctus Gregorius scribit *Childeberto* his verbis, *Quantò cæteros homines Regia Dignitas antecellit, tantò cæterarum gentium Regna Regni vestri culmen*

men excellit; *Honorius* tertius ait, *Reges Gallorum opposuerunt se tanquam Murus inexpugnabilis pro populo Christiano*; Gregorius nonus eleganter ait, *Regnum Galliæ est quasi Pharetra* quam Christus sibi circa femur accinxit, ex qua sagittas selectas extrahens Ipsas ut sibi gentes, & Regna subjiciat in arcum brachii potentis emittit.

Jam verò quantum ad quæstionem præcedentiæ attinet, maxima concertatio quam *Gallia* habuit erat Illa in Concilio *Tridentino*, quod tantos annos consecutivos durabat per intermissiones, Argumenta cujus concertationis quia confusim & sparsa leguntur in diversis Historiis, navabimus operam eas contrahere in distinctam narrationem, & minimâ qua fieri possit digressione; sed primùm non est a proposito alienum pauca prælibare de Illa contentione insigni quæ Venetiis priùs contigit inter Legatos Utriusque Regni.

Memorabilis Concertatio quæ inter Legatos Galliæ *&* Hispaniæ *Venetiis, & in Concilio Tridentimo agitata fuit; Quâ alia, non minùs notatu digna sese offerunt Lectori.*

PAucos latet qui versantur in Historiis, quod ad erigendum ingentem illum Colossum Domus *Austriacæ* plurima coinciderunt & conspirarunt fortunata auxilia; Mortuo Ferdinando, Aragoniæ Rex *Carolus* evasit valde potens tam in *Italia*,

Italia, quàm *Hispania*, sed præcipua scala qua ascendebat, erat *Maximilianus* Cæsar cui successit in Imperio, qua tempestate Domus *Austriaca* ad summum potentiæ & dignitatis cacumen erectum fuit cum possessione Indiarum Occidentalium; Usque ad hoc tempus Rex *Galliarum* agnoscebatur prima post Imperatorem persona in universo Christianismo, & nulla lis orta fuit, aut controversa inter Galliam & Hispaniam usque dum *Carolus quintus* exaltatus fuerit ad fastigium Imperii: Et quamvis ante *Carolum Quintum* sex Cæsares fuerant Illius stemmatis, & quod altissimus *Imperatoris* gradus det præcedentiam Illi qui legaliter electus fuerit, ex quacunq; familia extractus sit, tamen illa præcedentiæ dignitas non descendit ad suos posteros nisi quis ad eorum Imperium evehatur, eò quod in electivis principibus Illa præcedendi prærogativa adhæreat solùm suæ personæ & officio, non includendo suam progeniē. Ideoq; Domus *Austriaca* non habet majus privilegium quantum ad hoc quàm Domus *Saxonia*, *Luceburgi*, aut *Brandeburgi*, aliorumque qui antea Creati fuerant Imperatores.

Alia Familia quæ multùm corroboravit *Austriacam* erat Illa *Burgundiæ*, quæ tamen *Franciæ* feudetaria est; cum Comitatibus *Flandriæ*, & *Artesiæ*, quamvis cæteræ *Belgii* Provinciæ quæ devolutæ erant ad Hispanum ratione matrimonii cum *Burgundo*, Imperii feuda sint: Alia dominia quæ evexerunt Austriacam Domum ad hoc fastigium, erant Regna *Castella* & *Aragonia* cum provinciis annexis; Castella incepit esse Regnum non nisi post annum millesimum Domini; *Aragonia*

non erat multæ æstimationis usque dum regnum Neapolitanum acquisierat, quæ ambo sunt feuda Ecclesiæ; Huc fortunatò accessit India occidentalis, detecta primùm a Christophoro Columbo qui *Italus* erat; Demum Orientales Indiæ additæ fuerunt Coronæ *Castillæ* matrimonio cum Lusitania inito; Violentus hic Regnorum Accessus excitabat Spiritum Hispani vendicare dignitatem præcedentiæ a Regibus *Galliæ* & *Angliæ* duobus Christiani Orbis antiquissimis Regibus. Sed ut magis methodicè procedamus, dividemus Statum Domus Austriacæ in tres tempestates; prima, antequam *Carolus quintus* stabilitus fuit in Imperio; secunda, durante suo Imperio donec se ad vitam *Claustralem* retraxerat; Tertia quid inde stirpi suæ advenit.

Quod ad primam attinet, certum est, quod quamvis Familia *Austriaca* evecta fuerit ad Imperium, tamen remansit Galliæ Feudetaria; Nam *Philippus* primus Pater Caroli Imperatoris solenne præstabat homagium Cancellario du *Rochefort* a Rege Galliæ deputato, & Carolus ipse post Illum pro Comitatibus *Flandriæ* & Artesiæ Anno Dom. 1507, Ideoque Carolus Quintus *Gandavo* natus, nascebatur Vasallus Regi Galliæ; Verum est quod in Italia quando *Ludovicus* Rex Galliæ, & *Ferdinandus* Aragoniæ mutuò se visitarunt *Savonæ*, *Ludovicus* cedebat locum *Ferdinando* quia *Ludovicus* domi erat, in propriis territoriis, sed non aliud fuit quàm *complementum* ut aiunt, & civilitatis ergò.

Anno Domini 1519. *Carolus quintus* evectus fuit ad Imperium quod Anno 1555, Ille resignabat

bat Fratri Ferdinando; eodemque tempore cessionem fecit Regni Hispaniæ & reliquorum omnium dominiorum quæ occupabat primogenito suo *Philippo* secundo, excepto Archiducatu Austriæ cum ejus dependentiis in *Germania*; Philippus quamvis non successerat Patri in Imperio, cui solùm præcedentia debita fuit, tamen eam voluit vendicare, eò quod successerat Carolo in omnibus suis Dominiis Hæreditariis, & quod *Carolus* præcesserat priùs in omnibus congressibus & Tractatibus, præcipuè in Concilio *Tridentino*, quod tamen confusim erat, eo quod Carolus repræsentabat duas personas, *Imperatoris* scilicet, & *Regis Hispaniæ*, quæ non poterant distingui nec separari a se invicem.

Sed An. Dom. 1555 quando Claustralem vitam volvendo in mente, transferre voluit Imperium Fratri *Ferdinando*, & reliqua dominia Filio *Philippo*, & percipiens Philippum non posse præcedentiã expectare a Rege *Galliæ*, eo quod non erat Imperator, alia usus est arte conservandi illam præeminentiam tam *Filio* quàm *Fratri*; Antequàm se subduxerat ad Monasterium, mandavit revocari a Venetiis Legatum suum Don *Francisco de Vargas*, qui semper præcesserat Legatum Galliæ absque scrupulo, vel ulla difficultate; Post Resignationem Imperii, remisit dictum Don *Francisco de Vargas* ad Rempublicam Venetam qualitate Legati & sui & Filii, etiamsi reverà non erat Legatus nisi solius Regis Hispani; Sed deludere putavit Venetum quia eandem personam denuò legabat; *De Vargas* requirebat a Senatu solitam præcedentiam, sed Episcopus *Lodevensis* qui legatus erat

ea tempestate Henrici secundi Regis Galliarum, opponebat, affirmans Carolum non esse jam considerabilem quia reclusam agebat vitam,& mundo valedixerat ; Tamen si legatus *Ferdinandi* cui Imperium transferebat præsens esset, cederet Illi locum,sed non vellet sequi legatum Regis *Philippi.*

Senatus apprehendens aliquid tumultus oriturum ab hac concertatione, ordinavit quod neuter Legatorum præsens esset Festo Sancti *Marci* ; Ideoque negotium remansit indecisum Irresolutione Senatus, & Imbecillitate Episcopi Legati, qui demum contentus fuit se conformare ordini Reipublicæ in favorem Legati Hispani ; Veruntamen Anno Domini 1558 *Franciscus de Novailles* Episcopus de *Acs* succedens *Lodovenesi* in munere Legati, renovabat quæstionem de præcedentia, & Legato *Ferdinandi* Venetiis appulso etiam tunc temporis *Novailles* requirebat Jus suum & prærogativam habendi sessionem Imperiali legato proximam, & ita audacter locum cepit in conspectu *du Vargas* ; In hac temporis conjunctura Carolus vitam cum morte commutabat. Tum *Du Vargas* orationem alto eloquio habuit in Senatu de magnitudine & potentia Regis Philippi sui Domini, de vastissimis Territoriis, & Regnis quæ impræsentiarum Ille possidebat, quæ erant infinitè ampliora dominiis Gallorum Regis ; Allegabat insuper quod Illæ consuetudines præcedentiæ alterare solent secundum qualitatem, & mutationem temporum ; Asseverabat quod Rex Dominus suus erat Maximus mundi Monarcha ; Quod penes Illum erat Reipublicæ assistere tam Armis, quam Auro, & Copiis militaribus multò magis quam Gallus,*&c.*

Sed

Sed non obstante hac turgida oratione, De *Novialles*, quamvis fervida disputatio intervenerat, obtinuit Decretum a Senatu quo prærogativa Antecedentiæ adjudicata fuit Legato Christianissimi Regis Galliarum; Legatus Hispaniæ concitata voce expostulans, responsum fuit a Senatu, quod Respublica non facessebat sibi negotium examinandi magnitudinem utriusque Monarchæ, sed constabat in suis Registris, quod in omnibus Actis tam privatis quàm publicis, in omnibus ceremoniis, visitationibus, & Audientiis, Legati Galli præcedere solebant Legatos Hispaniæ, in quo Respublica vellet acquiescere.

Hoc responsum valde displicuit Regi Philippo qui inde revocabat Legatum a Venetiis; sed *Michael Surianus* qui tunc temporis residebat Legatus in Curia Philippicà animosè propugnabat Decretum Senatus strenuis argumentis, & ita demulcebat Spiritum Philippi, qui nihilominus hanc quæstionem movebat postea quandocunque occasio se obtulerat: Sed maxima qua nixus est industria fuit quatuor annis inde præterlapsis in Concilio *Tridentino*, quod erat maximum honoris, & Religionis Theatrum quod unquam erectum fuerat in Orbe Christiano, si omnes circumstantiæ rectè perpendantur; Ideoque quædam valdè memorabilia relaturi sumus quæ discussa fuerunt in Illo Concilio in ordine ad dignitatem præcedentiæ Regum *Christiani*, & *Catholici*.

De Concilio Tridentino.

POst Lutheri defectionem cum suis sequacibus ab Ecclesia Romana Generale Concilium desideratum fuit ab omnibus Christianis, quod sæpe propositum fuit a *Carolo* Imperatore & *Francisco* primo *Galliæ* Rege Paulo Tertio summo Pontifici, qui demum convocavit œcumenicum & liberum Concilium *Tridenti* Urbe celebrandum, sed aliquo temporis intervallo mutavit locum ad Civitatem *Bononiæ* in Italia, & decem *Sessiones* peractæ fuerunt in octodecem mensibus; Tum suspensum fuit ad mortem usque *Pauli* Tertii Anno Dom. 1549. *Johannes Maria de Monte* qui instituebatur præsidens dicti Concilii a *Paulo* tertio successit in Cathedra Sancti Petri nomine *Julii* tertii, qui denuò indicebat Concilium, quod reinchoavit *Tridento* Anno Dom. 1550, & continuavit sub hoc Papa plus quàm octodecem menses, quo temporis spacio sex Sessiones peragebantur, & Concilium recessit; sed revocato denuò a Julio, recessit iterum sub Papa *Marcello* secundo qui pontificatum tenuit non nisi viginti & duos dies.

Postea continuavit sub *Paulo* quarto Anno Domini 1559, *Pius quartus* Illi succedens, de novo indixit idem Concilium, quod inchoavit 1561, quo tempore novem ultimæ Sessiones factæ sunt; Ideoque Concilium Tridentinum durabat per intervalla circa octodecem annos, ab anno scilicet 1545 usque

uſque ad 1563, ſed conſultationes, & deliberationes Concilii vix durarunt quinque annis integris.

Jam verò, ut intelligamus Jura præcedentiæ legatorum, ſcire convenit, quod in prædicto magno Concilio tria genera conventuum erant, viz. *Congregationes generales*, *Congregationes particulares*, & *Seſſiones*; In particularibus Congregationibus Doctores juncti cum Epiſcopis examinabant quæſtiones Fidei quoad Reformationem ſecundum diſtributionem quæ Illis facta fuit, & in hoc conventu nulla conſideratio habita fuit ceremoniarum præcedentiæ; nam Actiones erant diſcuſſæ intra privatos parietes.

In *Generali* Congregatione omnes Epiſcopi & præſules conveniebant (cum Legatis ſæcularibus etiam) qui proponebant quicquid erat diſcutiendum in particularibus Congregationibus; In hac Congregatione Theologi Judicia ſua ferebant, & Legati principum habebant Audientiam poſtquam eorum Commiſſiones fuerant examinatæ; In ſumma, omnia ibi erant concluſa quæ promulganda erant in ſequenti Seſſione, & ſinguli Legati prioritatem loci ibi habuerunt ſecundum dignitatem ſuorum principum.

Sed Dies *Seſſionis* erat omnium maximè ſolennis, quo poſt Miſſam Sancti Spiritus, & Sermonem a quodam præſule, vel inſigni Theologo prædicatum, Præſul qui tum fungebatur officio, alta voce pronunciabat Decreta jam diſcuſſa, & determinata, & quæ approbata fuerant patribus Sancti Concilii hoc verbo Canonico *placet*: ſinguli Legati poſtulabant ſedes Honorarias in Illis

N 4 Seſſio-

Sessionibus, ac in celebratione etiam Missæ, & dignitas loci denotabat dignitatem Legati, & quando *Pax* dabatur Illis osculandum durante Missa.

In Conciliis a Paulo tertio & Julio tertio indictis Carolus Quintus erat Imperator, & nulla contentio orta fuit; nam Legati ejus, nemine contradicente, antecedebant omnes Alios, quamvis Gallici Legati raro admodum ibi apparebant; Imò in sexdecē primis sessionibus vix interfuit ullus ex *Galliæ* præsulibus; nec advenerat ibi Legatus Hispanus, qui involutus erat in Legato Cæsareo; Tamen multa intervenerunt quæ declarabant prærogativas Regis Galliæ.

Primò in Bulla indicendi Concilium a Paulo tertio emissa, Rex Galliæ nominatur immediatè post Cæsarem, sed omnes alii principes in terminis generalibus comprehenduntur sine nomine, Verba Bullæ sic se habent; *Charissimos in Christo Filios nostros Carolum Romanum Imperatorem semper Augustum, Et Christianissimum Regem Franciscum, duo præcipua Christiani nominis firmamenta ac fulchra orare atque obsecrare instituimus*, &c. Tum paulò infra, *supra autem dictos Imperatorem, Regemque Christianissimum, nec non cæteros Reges, Duces, principes quorum præsentia si alias usquam, hoc quidem tempore maximè Sanctissimæ Christi Fidei, & Christianorum omnium futura est salutaris, Rogantes atque obsecrantes per viscera misericordiæ Dei*, &c. Hinc liquet nullum alium principem particulariter nominatum esse in Bulla Papali præter *Imperatorem, & Regem Franciæ*; omnes Alii sub una generali notione subintelli-

telliguntur, quo maximus Honor defertur Regi Galliarum in ordine ad præcedentiam.

Secundò, ab initio Illius Concilii Anno Dom. 1545 *Franciscus* primus Rex Christianissimus Instituerat pro Legatis suis *Claudium d'Urfé* præfectum Forestarum, *Jacobum de Ligneres* præsidentem tertiæ Cameræ Inquisitionum, & *Petrum Danes* Decanum, & postea consecratum Episcopum *de Vaur*; sed certior factus a quibusdam præsulibus qui Tridento exciterunt, quod exigua spes erat Illud Concilium optatum habendi successum, consultò revocavit supradictos Legatos qui non omnino comparuerunt in Concilio; Attamen *Antonius Filiolo* Archiepiscopus *Aquæ Sextiæ* ibi demoratus est, & postulans ut in publicis Orationibus quæ effundebantur prò omnibus Christianis principibus Rex Galliæ expressè nominaretur, sicut erat in Bulla Indictionis, Legati eludebant hoc postulatum; nam Papa & Imperator solùm nominabantur in dictis Orationibus, omnesque alii principes in terminis generalibus concepti fuere.

Anno Dom. 1546. Rex Franciscus primus misit *Petrum Danes* Episcopum de *Vaur* in qualitate Legati ad Concilium, quo in eloquentissima Oratione remonstrabat tristem illum statum in quod Christianus Orbis lapsus erat, & infaustas confusiones quæ in *Ecclesiam* irrepserant, imò in *Curiam Romanam*, quo dicto Episcopus quidam ridebat, cum hoc scommate *Gallus cantat*; Petrus Danes replicuit, *Utinam illo gallicinio Petrus ad resipiscentiam & fletum excitetur*, & postea hoc dicterium fuit in ore omni populo.

Anno

Anno 1547 Papa *Paulus* Tertius ob pestilentiam & bellum quæ tunc grassabantur in Germania, Concilium a *Tridento* ad *Bononiam* transtulit, sed hoc fecit, ut Historia refert, *Communicato etiam Concilio cum Imperatore, Christianissimo Rege, & aliis Regibus ac principibus Christianis*, quo Rex Galliæ particulariter nominatur.

Anno Dom. 1551 cùm Papa *Julius* tertius restabiliverat Concilium *Tridento*, quamvis *Henricus Secundus* Rex Galliæ fervidum gerebat bellum cum Papa *Julio* circa quæstionem *Parmæ*, nihilominus legabat *Jacobum Amyot* Abbatem *Belosana*, & Episcopum postea *de Auxerre* cum Regiis litteris hanc Inscriptionem habentibus.

Sanctissimis in Christo, & observandis Patribus Tridentini Conventus; Quæ litteræ cum oblatæ fuerant Cardinali *Crescentio* qui erat præsidens Concilii, & quando secretarius legerat prædictam *superscriptionem*, Hispani Præsules clamabant pleno ore quod insignis injuria erat vocare magnum illud & generale Concilium *Conventum*; igitur protestabantur contra Illud vocabulum; Tamen post longas disceptationes de sensu præfati vocabuli *Conventus*, conclusum fuit, quod in bonam partem concipi posset; Elector *Moguntinensis* ut excusaret Galliam, dicebat, Quomodo recipiemus Scripta Protestantium Germaniæ quos vocamus *Concilium Malignantium*, si rejicimus litteras Regis Christianissimi eo quod nos vocet *Conventum*?

Sed hactenus ideò quod *Imperator* erat etiam Rex *Hispaniæ*, nulla oriebatur quæstio de præcedentia; Sed tertia Indictione Concilii a Papa *Pio* quarto

quarto Anno Dom. 1561, plurimæ altercationes contigerunt inter Legatos *Galliæ*, & *Philippi* secundi, quæ magnos ciebant tumultus inter ambas Coronas, quæ altercationes contigerunt, ut nonnulli asserunt, ob imprudentiam *Pii* quarti: Ideo quod in Bulla Indictionis quam emisit, habuerat terminos differentes ab illis *Pauli* tertii *Et Julii tertii*; nam nomen Regis *Christianissimi* non inserebatur, sed in generali notione aliorum principum involutum fuit; Quapropter *Philibertus de Bourdesiere* Episcopus de *Angoulesme* qui Legatus erat in Romana Curia a Rege Galliæ missus incusat suam Sanctitatem ob hanc Omissionem, cum hac tamen protestatione in nomine Regis, quod non obstante hoc magno Honori suo vilipendio, & præjudicio, tamen se nullo modo impedire velle continuationem & progressus Concilii ad quod legaverat suos Episcopos; Papa respondit, quod Ille in mandatis dederat quibusdam Cardinalibus Bullam formandi, & videtur quod non erant tam accurati in illo negotio quàm conveniebat; Quia nominando Imperatorem putaverant non esse necessarium alios Reges nominare, sed eos comprehendere sub una generali notione; Legatus Gallus concitata voce replicuit quod una erat Regis Christianissimi prærogativarum non involvi in universalibus (*nam dolus est in Universalibus*) sed in terminis terminantibus & punctim expressis; Papa respondit iterum, quod Ille non poterat prævidere omnia, & quod in posterum se curam habiturum ne talis fiat Omissio.

Anno

Anno Dom 1562 appulerunt *Tridento Ludovicus de Saint Gelais* Baro de *Lansac*, & triduo post eum *Arnoldus Ferrier*, & *Guido du Faur Pybrac* qui cum debito honore recepti fuerunt a Concilio universo; nam major pars præsulum Hispanorum in occursum eorum ibant; sed *Ferdinandus de Avalos* Marchio *Pescaræ* qui legatus erat *Philippi* extraordinarius, discesserat a *Tridento* triduum antea ad *Mediolanum* cujus erat Gubernator, sub prætextu quod *Huguenotti* Delphinatus in Franciæ cum quibusdam Hæreticis Helvetiæ aliquid mali moliebantur; sed ut nonnulli autumabant, causa erat ut non se misceret cum Galliæ Legatis qui in Generali Congregatione postulabant Sessionem Imperatori proximam. *Baro de Pybrac* nervosam protulit Orationem, qua invehebatur contra enormitates Ecclesiæ, & lentos progressus quos Concilium fecerat; loquebatur insuper de *libertate opinionis*, & quod non conveniebat expectare ordines in quavis lecticula Re tam longo tempore a Roma; *Lansac* & *Ferrier* confirmabant, & exaggerabant quod *Pybrac* dixerat. Pontifex Romanus protestabat contra eos, clamans quod Rex Galliæ non amandabat Legatos ad Concilium sed Advocatos pro *Hugonottis*; Paulò post quidam Episcopi Galli appulerunt Tridento a Cardinale Lotharingiæ introducti, & cum summo honore recepti fuerunt a Cardinale Mantuæ, aliisque Legatis; sed huc usque ne γρῦ quidem de præcedentia.

Paulò post adventum Cardinalis *Lotharingiæ*, & Episcoporum Galliæ, Philippus Rex *Hispaniæ* revocaverat Marchionem de *Pescara*, & amandavit

davit Tridento *Ferdinandum Quiniones* Comitem de Luna qualitate Legati, qui antea fuerat Germaniæ cùm Coronatio Maximiliani Ferdinandi Imperatoris Filii celebrata fuit ; Comes de *Luna* certior fieri desiderabat a patribus Concilii quam Sessionem haberet ; Quamobrem Cardinalis *Mantua* præcipuus Papæ Legatus consultatione inita cum Legatis Galliæ, & Cardinali Lotharingiæ, proposuit iis modum quendam accommodationis, *viz*. quod Legati Galli tenerent semper locum Imperialibus legatis proximum, sed alius locus assignaretur Comiti *Luna* altero lateri oppositus Legatis vel post Ecclesiasticos Legatos, vel alia parte extra Sedilia Legatorum ; Galli responderunt quod missi erant a suo Rege non ad determinandos processus, vel ad decidenda Jura Regis Philippi, qui erat bonus Amicus & frater Carolo nono, sed si quis offerret locum arripere qui Illis debitus erat, promptissimi erant ad defendenda sua Jura contra quamcunque personam ; Et si Concilium vocaret hæc in dubium, habebant ordinem in suis Instructionibus se amovendi cum omnibus Galliæ præsulibus, & protestandi pro nullitate quarumcunque rerum quæ ibi transigerentur ; Legatus Papæ nullam fecit replicationem.

Hoc responsum justum videri possit & generosum ; Sed in effectu causa erat quod Legati Galliæ postea dedecorarentur in Concilio, ad corroborandas Hispani prætensiones Hac in Re : Nam Jus Regis Galliæ non solum est proximus esse Imperatori, sed ut omnes alii Reges Illum retrocedant ; Itaque munus erat legatorum Galliæ strenuè

nrè insistere, & adhærere suo Juri, & obligare Comitem *Lunæ* retroire, & velle permittere Illum sedere aliunde, esset ansam dare litigandi; Nam quamvis legati Galliæ semper tenuerint suas Sessiones, tamen concedere quod Hispaniæ Legatus sederet solus per se, esset tacitè accipere Illum in æqualem locum; Sed ut in hac prima Altercatione & aliis quando negotium discussum fuit Generali Congregatione, Cardinalis *Lotharingiæ* culpabatur, quod non satis vigorosus esset in defendendo Jura Regis sui Domini.

Anno 1563 Patres apprehendentes contentiones futuras interGallos & Hispanos Doctores quinam primi declararent suas opiniones in Concilio, ordinabant, quod sine ulla distinctione Nationum quilibet Doctor loqueretur secundum antiquitatem Doctoratus; Et quoniam aliqui Doctores Galli antiquiores erant Hispanis, tamen non admittebantur loqui primò, Legati subitò satis Illis fecerunt, quod Doctores non repræsentant personam principis ut Legati solent.

Sed ad componendas istas differentias quæ inceperunt altiùs volare, Doctores dividebantur in quatuor Classes, & Ordinatum fuit quod post Illos qui missi erant a summo Pontifice Doctores *Galli* loquerentur, quod a Legatis approbatum fuit; Itaque decretum fuit quod post *Salmeron* Jesuitam & Papæ Theologum, *Nicolaus Maillart* Decanus Facultatum in Parisiensi Academia loqueretur, & post Illum unusquisque loqueretur secundum antiquitatem suam in Dignitate Doctoratus, quod exactè observatum fuit; Sed ad placendum Hispano rescriptum fuit in transactionibus

bus Concilii, quod *Maillart* Gallus Doctor loquutus fuerat virtute antiquitatis sui Doctoratus, nulla habita relatione ad præcedentiam Nationum.

Eodem Anno 1563 solennissimo die *Pascha* Comes de Luna introductus fuit in Tridentum: Intrando incedebat inter Legatos Imperatoris & *Galliæ*; Ista Actio cum multo honore, & Comitate observata fuit inter utramque Nationem tam *Gallam* quàm *Hispanam*; Quod induxit Ducem *Lotharingiæ* scribere ad Ferdinandum Imperatorē (qui tunc erat Civitate *Inspruq* in Comitatu *Tirolensi*) de variis Concilii transactionibus, & in conclusione orabat ut sua Cæsarea Majestas viam quandam inveniret vel temperamentum ad Res accommodandas inter utrasque Coronas in ordine ad præcedentiam; Sed illa clausula Cardinalis inculpata fuit a *criticis* temporum; nam non debebat desiderare quoddam temperamentum, sed *Jus postulare* ex parte Regis sui Domini.

Imperator respondit quod non sui muneris erat determinandi controversias in hoc particulari; veruntamen, secundum suam mentem putabat quod si Legati Galliæ sedebant & incedebant proximi *suis* sine impedimento, quid refert quo in loco Legati Hispaniæ sedeant? Sed ista verba judicabantur esse periculosæ consequentiæ; Nam in Materia præcedentiæ quicunque deserit locum illi assignatum, præsumitur illum dedignari, & sublimiorem ambire, quod non potest fieri absque præjudicio iis qui superiorem locum antea habuerant.

Vicesimo

Vicesimo primo die Maii, intentio *Hispani* clarior apparebat in Generali Congregatione; Nam Comes *Lunæ* post supradictam solennem Introductionem abscondit sese quadraginta dies, ita ut non compareret in ullis ceremoniis, aut publico congressu, quia distrahebatur quid agendum erat valdè in hoc negotio; Aliquoties putavit introire Concilium in medio Legatorum Imperialium, & postquam Illi sederant, in pede sistere usque dum sua Commissio verificabatur, & inde egredi; Sed dubitans hoc non satis generosum futurum honori Regis sui Domini, Orabat Galliæ Legatos ut abesse vellent eo die, quod cùm denegatum Illi fuit, Hispaniæ Episcopi proposuerunt quod omnes Legati sæculares rogarentur non interesse Congregationi Generali, sed solummodo diei suæ Receptionis, & quòd contenti essent assistere ceremoniæ solùm *Sessionis*, allegando, quod usitatum fuit in allis Generalibus Conciliis; sed reliqui Legati strenuè opposuerunt huic propositioni.

Tum clanculò suggestum fuit Episcopis Hispanis à Comite *de Luna*, quòd proponerent quoddam quo Legati Galliæ fierent adversarii, eoque modo incapaces assidere Congregationi; exempli gratiâ, Quod declararent incommoda, & damna quæ universalis Ecclesia recepit a pace quam Rex Gallus concluserat cum *Hugonottis*, vel simile quoddam commentum; Sed hoc etiam carens successu, & Congregatione impedita ac indies distracta ob obstinationem Comitis Lunæ, tandem, quia negotia Concilii non retardarentur, Cardinalis *Lotharingiæ*, & Legati *Galliæ* declararunt, quod

quod loco Imperialibus proximo illis concesso, non referebat multùm quem locum *Hispaniæ* legati tenerent.

Hæc imprudentia Cardinalis & Legatorum Galliæ scandalum quoddam dedit toti Christianismo; Et in Gallia clamabant eos tradidisse honorem Domini sui; Imò Patres Concilii in malam partem id acceperunt; Romæ verò Cardinalis de *Bourdesiere* qui ibi Legatus erat pro Rege Galliarum, protestabatur contra hanc Hispanorum ambitionem, nec non talem Innovationem contra antiquos ritus in Concilium introductam; sed Papa respondit, quod imputare deberent omnia imbecillitati Legatorum *Galliæ*; Quantum ad se attinebat, etiamsi fuerit sæpe sollicitatus hac de Re ante & post adventum *Comitis de Luna* ad Concilium, tamen constans & inflexibilis remansit, nec minùs admirabatur quòd Legati Galliæ tam facilè deluderentur.

Cùm veniret solemnis dies *Congregationis Generalis*, Comes de Luna intrat, & posuit se obversum Legatis Papæ, sed in loco a Legatis sæcularibus distantem, & pede arrectus, declaravit Patribus Concilii ordines, & voluntatem sui Domini, protestatione affirmans, quod etiamsi prioritas Loci Cæsareo Legato proximi ad eum de Jure pertineret gerentem vices maximi principis in toto Orbe Christiano, & Ecclesiæ Romanæ fortissimo propugnaculo, *&c.* Tamen ne introduceret ullam distractionem in negotia Concilii, abstinebat ab hoc Jure; sed cum conditione, quod hæc sua protestatio insereretur inter Acta Concilii, & quod sine Illa non promulgarentur;

rentur, ac insuper quod copia daretur illicò Secretario. Quando hæc pronunciaverat, locum sumpsit prope Tabulam Secretarii Concilii. Tum Legati Galliæ qui sedebant proximi Imperialibus, dixerunt, Quod si locus quem Illi vendicabant, non erat omnium dignissimus post Cæsarem sicut judicatus fuit in omnibus Conciliis, & speciatim in Conciliis *Constantiensi* & *Lateranensi* sub Leone Decimo; Ac si locus qui assignatus erat *Comiti Luna* præjudicio erat ullatenus Legatis Christianissimi Regis, rogabant Concilium, ut inde subitò provideretur, aut mandatis, aut excommunicationibus aliisque viis, nullo respectu habito ad personam. Verùm post altum silentium nemo ad hoc respondit, & Cæsareus Legatus cum cæteris connivebant in hac Innovatione; Tum Legati *Galliæ* addiderunt quod sine detrimento Honori Regis Philippi, & fœderibus utriusque Coronæ, protestabantur contra has transactiones, & requirebant ut hæc protestatio regereretur inter Acta Concilii, & quod copia Illis traderetur.

Post hasce Altercationes, Concilii Patribus silentium agentibus, *Fontidon* Hispanus Doctor surgebat, & Latinam composuit Orationem nomine *Comitis de Luna*, in qua extollebat amplitudinem Regis Hispaniarum, ejusque ad Religionem propagandam, & protegendam Ecclesiam intensum zelum; sed hoc fiebat in tam extravagantibus terminis atq; aliis principibus tam derogatoriis, quòd Ipsi Imperiales videbantur incusare Oratorem *Comiti de Luna*, qui respondit, dictam Orationem sibimet ipsi etiam displicuisse; Sed promotor Concilii responsum daturus prædictæ

dictæ Orationi, Legatus Hispaniæ subitò egrediebatur a Concilio, & hoc consultò fecit ad occurrendas omnes disputationes quæ possent oriri inter se & Galliæ Legatum exeundo; Itaque sicut sedebat solus, sic solus egrediebatur semper a Congregatione.

Sed hæc evasio non potuit prævalere in *Ecclesia* Die *Sessionis*; quia modus sedendi ibi erat distinctus, & Ceremoniæ in ordine ad præcedentiam magis erant præcisè observatæ, præcipuè cum *Pax* & *thuribulum* offerebatur in celebratione *Missa*; Quapropter Patres Concilii Pontificem consuluerunt ante Sessionem, qui ab Hispanis præpossessus; ad Legatos suos scripsit quòd etiamsi in Sessione Concilii locus distinctus assignatus fuerit Legato *Hispaniæ*, Tamen in Ecclesia *Pax* & *Thuribulum* darentur eodem tempore utrique Legato; sed in mandatis habuerunt hoc reticendi usque ad punctum Actionis, ne Legati Galliæ interim tumultuarentur.

Cum dies *Sessionis* venerat qui erat 29 Junii, Festo Sancti *Petri* postquam Episcopus de *Valdasto* in *Subaudia* inceperat cantare Missam *Sancti Spiritus*, subitò ex Sacristia cathedra nigro holoserico inducta portata fuit, quæ ponebatur inter ultimum Cardinalem, & primum Patriarcham, qua *Comes de Luna* insedit; Cardinalis *Lotharingia*, cum Legatis Galliæ strepitum fecerunt, & surrexerunt cum intentione exeundi quando certiores fierent quod *Pax* & *Thuribulum* darentur eodem tempore; sed metu distrahendi tam solenne actum, contenti erant solùm protestari, & declarare quod Regni Christianissimi Jus non consistebat

ſtebat in *æqualitate* ſed in *Præcedentia*; Lecto Evangelio, & Theologo in pulpitum aſcenſo ad Orationem habendam, Legati Papæ cum Cardinali *Lotharingiæ* aliiſque Cardinalibus, unaque cum Legato Imperiali, & *Ferrier* ſecundus *Galliæ* Legatus (nam *Lanſac* domum reverſus erat) intrabant omnes *Sacriſtiam* vocantes ad ſe Archiepiſcopum *Granatenſem* Hiſpanum ad aliquam accommodationis viam inveniendam; Tandem poſt varias diſputationes, & concertationes utrinque habitas, concluſum fuit ut Miſſa finiretur cum *Pax* & *Thuribulo*; ſic *Comes de Luna* triumphans exiit, putans edidiſſe inſigne actum pro honore & dignitate Regis ſui Domini.

Sed hæc Tranſactio non mediocre ſcandalum dedit, & Legati Papales valde vituperati erant; tandem ad ſedandas exclamationes conſtringebantur producere mandata a Roma recepta pro ſua Juſtificatione; ſed Injuria inſignior exiſtimabatur quia oblata fuit Pupillo Regi, *viz. Carolo nono* Galliarum Regi, qui etiam eodem tempore diſtractus erat ab *Hugonottis*, & Civili bello involutus; Cardinalis *Lotharingiæ* acres ad Papam litteras ſcribebat, tamen intra Cancellos reverentiæ ſe detinens; ſed *Ferrier* homo violenti & audacis animi exclamabat alta voce quod ſi in proxima Miſſa publica Pax & Thuribulum non darentur Regi ſuo Domino, proteſtationem exhibere vellet non ſolùm contra Concilium, Legatoſque Papæ qui manus habebant ligatas, contra Regem *Philippum* qui eos inſtigaverat, & Eccleſiam *Romanam* (cui nunquàm tamen perderet debitam reverentiam) ſed directè contra ipſam Pontificis perſonam,

nam, qui, ut bene probare posset, emerat pontificatum, & hinc *appellare* vellet & provocare ad Papam legalem, & verum liberumque Concilium; & si Rex Christianissimus Indicere vellet nationale Concilium in Gallia, tam numerosum & generale futurum esset ac Illud Tridentinum.

Verum est quod *Pybrac* alter Legatus Galliæ aliam præparaverat Orationem asperam, nec minùs mordacem contra Pontificem, atque hanc Innovationem, cum mandatis a Rege quod Episcopi & Doctores Galli domum reverterentur, sed cum promisso redeundi quandocunque placeret Deo Legalem Orbi Christiano Papam dare, & restaurare Concilia in suis antiquis & plenis privilegiis & immunitatibus. Hæc Oratio Impressa fuit, at non pronunciata. Interea *Comes de Luna* gloriabatur promissum Illi factum esse quod in proxima solenni Missa Pax & Thuribulum æquali gradu daretur, & eodem tempore.

Legati Pontificis augurantes aliquos infelices successus ab his altercationibus orituros, Et quia Orator *Poloniæ* declarabat, quod si Legatus *Galliæ* se subduceret a Concilio, Ille etiam sequeretur cum aliis, Legati dico Papales & alii moderationis judicii præsules, præcipuè *Madruccio* Cardinalis *Tridenti* ex parte Imperatoris expediens fore existimabant quod Missa publica celebraretur, & quod *Pax* & *Thuribulum* omitterentur, & hoc factum est cum assensu *Comitis de Luna.*

Paulo post, Cardinalis *Lotharingiæ* Romam profectus est, & *Ferrier* aliam habuit Orationem audacem, & acerrimam contra enormitates, & abu-

abusus qui in Ecclesiam Romanam irrepserant.

Hæc Pontifex in alta mente reposuit, sed ad deliniendum negotium, remisit Ducem *Lotharingiæ* ad Concilium cum plena authoritate unà cum suis Legatis regulandi omnia quæ possent scandalum dare in progressibus Concilii.

Vigesima quarta Sessio ordinata fuit haberi undecimo Novembris Anno Dom. 1563 Festo Sacramenti *Matrimonii*; sed notitia habitá quod Cardinalis *Lotharingia* cum reliquis Galliæ Episcopis, & Doctoribus in Mandatis habuerant extemplò revertendi, Legati Pontificis accelerabant conclusionem Concilii, & Ordinabant quod vigesima quinta & ultima Sessio teneretur tertio & quarto die Decembris proximi, In qua Legati Galliæ solitum locum capiebant, & *Comes de Luna* assidebat prope Secretarium Concilii, & in Missa publica Pax & Thuribulum omittebantur.

HOC modo Concilium *Tridentinum* finem recepit quarto die Decembris Anno Dom. 1563, & Cardinalis *Moron* qui erat Concilii præsidens, publicam pronunciabat Patribus Benedictionem his verbis, *Post gratias actas, Reverendissimi Patres Ite in pace*, quibus omnes responderunt Amen.

Sed quoniam consuetudo est, quod in conclusione omnis Concilii generalis publicæ fierent acclamationes *Fœlicitandi* Papam qui Illud indixerat, & Patres qui tenuerant, principesque sæculares qui astiterant, Cardinalis *Lotharingia* egregiè

giè navabat operam ut hoc exactè fieret, quod pensum censebatur inferius esse suæ eminentiæ, quia pertinebat ad Diaconos, Promotores, Secretarios, & Magistros Ceremoniarum hoc agere; Sed supra omnia reprehensus fuit quod in Acclamationibus habitis pro principibus Temporalibus, non prævaluit quod particularis mento fieret nominis *Christianissimi* Regis, ut observatum erat in Bulla Indictionis, pro qua Omissione querela ad pontificem *Pium* quartum delata fuit, cujus Cardinalis *Lotharingiæ* non posset esse ignarus.

Jam verò Acclamationes quæ factæ sunt in favorē principum Temporalium (quibus nomen Regis Galliarum omittebatur) tales erant; Cardinalis alta voce elocutus est, *Caroli Quinti Imperatoris, & Serenissimorum Regum qui hoc universale Concilium promoverunt, & protexerunt, Memoria in Benedictione sit*; Tum, *Serenissimo Imperatori Ferdinando semper Augusto, Orthodoxo, & Pacifico, & omnibus Regibus, Rebuspublicis, & principibus nostris multi anni.* Tum Patres respondebant, *Pium & Christianum Imperatorem Domine conserva, Imperator Cœlestis Terrenos Reges rectæ Fidei conservatores custodi.*

Prima Acclamatio erat pro defunctis, qua Cardinalis oblitus est exprimere nomina *Francisci primi*, & *Henrici secundi* qui multum sollicitudinis & zeli contribuerant promovendi hoc Concilium; Secunda Acclamatio erat pro principibus adhuc viventibus, quâ omisit etiam nomen Regis *Caroli noni*, Ideoque dictus Cardinalis redargutus fuit in Concilio privato Regis Galliæ; sed Excusavit se, dicens hoc fieri, ne simultates orirentur inter

ambos Reges, & insuper quia *Carolus* nonus *Minor* adhuc, & in Rebus ad Christianam Religionem pertinentibus distractus ob insolentiam *Calvinistarum*, posset expectare auxilium a Rege *Philippo*: Quapropter non erat prudentiæ & Rationi consentaneum Illum exasperare.

SIC discrete Lector, Epitomen quandam habes Famosi illius Concilii *Tridentini*, præcipuè de competitionibus, tricis politicis, artificiis, & altercationibus Legatorum *Galliæ* & *Hispaniæ* pro prærogativa loci, & prioritate Sessionis in dicto Concilio universali.

Accedimus jam ad congressum, & altercationem quæ contigit inter Legatos Regum Christianissimi, & Catholici in Tractatu *de Vervins* Anno Domini 1598, cujus antea mentio leviter facta est, quo Tractatu Legatus *Galliæ* delinitus fuit, & Res accommodatæ erant moderatione & prudentia *Cardinalis de Medici*: Quæ Accommodatio talis erat; Cardinalis Legatus pro Pontifice sedebat ad sublimiorem Tabulæ finem ubi Tractatus habendus erat, & ejus manu dextra sedebat Nuntius, proximi Illi Legati Hispani considebant; Manu sinistra Cardinalis sedebant Legati Galliæ, & hoc modo procedebant ad negotiandum ac tractandum sine ulla exceptione aut animositate, quo Tractatus Ille producebat Pacificos & fœlicissimos effectus, quorum universus orbis Christianus percipiebat uberrimos fructus.

Attamen circa idem tempus acris & alta lis orta est, in Curia Romana inter Legatos Regum *Christianissimi*, & *Catholici*; sed cum Legatus Hispaniæ non poterat Romæ prævalere, se contulit ad Aulam

Aulam Cæsaream *Maximiliano* tum imperante, ubi Hispanus obtinuit loci præcedentiam a Legato *Caroli* noni Regis *Galliæ*; sed *Gaspar Coligni* exclamabat alta voce contra hanc insignem & apparentem injuriam, affirmans, quod justa occasio erat denunciandi Bellum; sed *Mendoza* Legatus *Hispaniæ* variè distractus, & perturbatus circa hoc negotium, ac in quasdam angustias conjectus, hanc Evasionem invenit, dicens, *Se nolle quidem anteire, tamen cogi non posse* ut *Francorum* Legatos sequeretur.

Besoldus, & Alii qui videntur esse acres Advocati pro Hispana præcedentia, torquent cerebrum excogitandi argumenta ad hoc propositum; Inter quæ argumenta illud quod maximi momenti est, eo quod Rex Catholicus tam larga & multiplicia habeat Dominia; unde deducit hanc Regulam, *Ex Facto sumitur Jus*, & facto jam mutato, Jus etiam mutatur; Quum igitur Factum, & Rerum circumstantiæ mutatæ sint ex parte Regis *Hispaniarum*, & respectu etiam habito ad amplitudinem, & incrementa Regnorum, prior consuetudo concedendi antelationem Regibus Franciæ mutari etiam debet.

Tum *Besoldus* producit *Angliam* pro Instantia, agnoscens ex *Meterano Anglos* (*Britannos* debebat dicere) esse Christianorum antiquissimos, & quod *Germani* sui conterranei primò facti sunt Christiani ab Illis; Affirmat insuper Reges *Angliæ* nobilissimis, & antiquissimis Familiis oriundos esse, & pro exemplo urget Regem *Cunobelinum* qui circa nativitatem *Domini* in Britannia dominabatur; Et cujus moneta adhuc constat: probat insuper Re-

Regem Angliæ non esse Feudetarium, aut subordinatum ulli alii Terreno principi, sed Vicarius immediatus est Dei omnipotentis in propriis Dominiis: Tamen ineptè concludit nec minus irrationaliter in his terminis, *Verùm & Angli nimis antiquis argumentis pugnant, & præsenti Majestati Hispaniæ æquiparandi minimè esse videntur*: Porro, post diversa ponderosa argumenta quæ exhibet pro Anglia, ineptiùs concludit his verbis, *Sed porro absonum est quod Anglus Hispano Sessionis litem moveat.*

Alter Athletes qui supportare conatur magnitudinem, & prærogativas Hispaniæ in ordine ad præcedentiam, est *Jacobus Valdesius*, sed videtur disputare contra seipsum; nam quamvis agnoscat *Lucium* fuisse Regem Christianum tempore Pontificis *Eleutherii* (quod erat trecentis annis ad minimum ante quam viguit in Hispania ullus Rex *Christianus*) quamvis agnoscat etiam Hoc Axioma verum esse, viz. *Summa Ratio est quæ ducitur a Religione*, tamen concludit Regem *Angliæ* non debere cum *Hispano* comparare pro præcedentia, quo non solùm injustè agit, sed ignoranter, appellando *Lucium* Regem *Angliæ*, quum nomen *Angliæ* non impositum fuerit Insulæ nisi trecentis annis elapsis a Rege Lucio. Nam *Britannia* tum nominata fuit ab omnibus Exteris, & *Loegria* ab Incolis primitivis quod nomen Illa adhuc retinet inter antiquos *Britannos*; sed iste error non est *Valdesii* tantùm, sed aliorum scriptorum, qui non exactè respicientes computationes Temporum frequenter *Britannicam* Insulam vocant *Angliam* antequam vocabulum Angliæ creatum fuit.

Sic

Sic produximus, & fidelissimè allegavimus præcipua argumenta Regum Galliæ in ordine ad præcedentiam; concludemus duabus contentionibus hujus generis quæ non ita pridem contigerunt; Una erat *Haga* comit. in *Batavia*, inter *Monsieur de Thou* Regis *Galliæ*, & Don *Estevan de Gamarra* Regis Hispaniæ Oratoris; Forte accidit quod eorum Rhedæ in occursum ibant inter quædam repagula lignea quæ viam fecerant angustiorem; subito lis orta est pro præcedentia, usque ad arma, sed cohorte satellitum illicò se interponente, Legatos cum suis pedissequis, & anteambulonibus quietos tenuit, usque dum Concilium *Status* certius fieret de tumultu: Concilium tres horas stetit deliberando quid deberet fieri, tandem conclusum fuit quod repagula lignea eradicarentur, & eo modo via ampliata fuit, & ambæ Rhedæ præterierunt absque strepitu aut oppositione.

Secunda contentio *Londino*, Angliæ Metropolitanæ Civitate, contigit inter Monsieur *l' Estrade*, & *Baronem de Batteville*, Legatos Regum Christianissimi, & Catholici; Orator novus Daniæ appulerat & debebat habere primam suam Receptionem per Plateas *Londini*, & ut in more positum est, Legati *Galliæ* & *Hispaniæ* præparabant Rhedas suas eundas ad introducendum Danum; Magnæ Britanniæ Rex intimationem habens quod concertatio forte oriretur inter Rhedas & Ministros utriusque Legati, ad occurrendum omni tumultui qui inde concitari posset, ad eos misit dicendum ut abstinerent ab hac ceremonia quæ non erat tam necessaria, sed potius supervacanea,

eo

eo quod ſat Rhedarum ex *ſuis* erant ad concomitandum Legatum; Baro de *Batteville* Hiſpanus Orator reſpondebat ſe conformare velle Majeſtatis ſuæ voluntati, cum conditione quòd *Monſieur l' Eſtrade* idem faceret; Ille vero reſpondit, quòd ultimus Legatus ſuus prædeceſſor reprehenſus fuerat poſt reditum ſuum in Curiam Galliæ, quia omiſerat hanc ceremoniam, & quod Ille etiam talem incurreret reprehenſionem; Sic ambo Legati Rhedas ſuas ſplendidiores cum pediſſequis aliiſque ex ſuis famulis miſerunt concomitatum Daniæ Oratorem a portu Turris Londini; *Batteville* præſagiens aliquid mali exactam fecerat inſpectionem terræ qua Daniæ Legatus appellere debebat, Ideoque Rhedam ſuam ſtare juſſit in tali loco ut impoſſibile foret quod ulla alia Rheda ſe interponere poſſet inter ſuam & Regis rhedam in qua novus Legatus equitabat; Præterea habenas frænorum duplicari juſſit filis ferreis ut ſalvæ forent contra ictus gladiorum; Sic immediatè poſt appulſum Dani, & aſcenſum ſuum in Rhedam Regis acre certamen & conflictus oriebatur inter Rhedas Legatorum Hiſpaniæ & Galliæ; nam præter gladios ſcloppos etiam portabant, & Galli etiam equites habebant armatos; miſelli equi ſaucii & utrinque convulnerati erant, & nonnulli ex pediſſequis trucidati fuerant, cum aliis famulis, & in ipſa rheda generoſus quidam Hiſpanus occiſus fuit; & pugna durabat uſque dum Satellites Regis eos diſſipabant, ſed Hiſpanus prævaluit, nam Rheda incedebat Rhedæ Regis proxima per plateas Urbis uſque ad Palatium novi Legati.

Quando

Quando relatio hujus prælioli perferebatur ad Curiam Gallicam, sic irritabat Regem, ut Hispanus Legatus qui tum Parisiis residebat detentus fuerit in suo Palatio; Itaque subito expedivit nuncium ad Curiam *Hispaniam*, ut sapere quid agendum esset. Nuncio inde reverso, Legatus misit animadvertere Secretarium Status eum recepisse tales ordines a Curia Catholica qui satis possent facere suæ Majestati Christianissimæ de nupero tumultu in Anglia, Ideoque petebat Audientiam, quæ assignata Illi fuit sequente die; In hoc intervallo principes sanguinis, & principaliores status ministri moniti fuerunt interesse Audientiæ Hispani Oratoris, Qui cùm ad Aulam Gallicam venerat, & expectans privatam a Rege Audientiam repperit locum magnatibus, aliisque plenissimum, quò stetit aliquantum attonitus, perrexit tamen, & Oratione habita coram Rege in Illa declaravit quod nuperum illud certamen quod contigit in Anglia, factum est sine notitia & voluntate suæ Catholicæ Majestatis; Itaque in posterum ordinaret quod talis discordia non eveniret; præter hæc verba proferebat alia quæ æquivalentia erant concessui dignitatis præcedentiæ Regi Christianissimo, quæ verba subitò regesta fuerunt inter acta Concilii Status, ut manerent pro testimonio futuris sæculis.

Hoc induxit Regem Magnæ Britanniæ prudentissimum actum Status edere in suo Concilio privato, *viz.* Quod, in posterum, ob tumultus & diversas inconvenientias inde orientes, sua Majestas expressè mandabat, quòd Rhedæ nullius Legati cujuscunq; irent concomitatum ullum novum Le-

Legatum prima sua Receptione seu Introductione, eò quòd Rhedæ suæ Majestatis cum aliis ad id propositum assignatis sufficerent ad illam ceremoniam persolvendam quando Res postulaverit; Et verisimile est quod Illud Actum salutaris regula, & exemplum reliquis Christiani Orbis principibus futura est.

Antequam addamus Colophonem Huic Sectioni quæ agit de dignitate præcedentiæ Regi Christianissimo debita, adjiciemus Illud quod Monsieur de *Breves* memoriæ prodit in Appendice suo de negotiationibus Orientalibus, ubi asserit, quod Henrico Magno in Gallia regnante missus fuerat Legatus ad Constantinopolin, seu Portum & Curiam Ottomanni Imperatoris, & dictus *de Breves* præcedentiam Sessionis cepit a Legatis Rodolphi tum Imperatoris Romani; affirmat insuper quod in Portu sive Curia Turquesca Legati æstimantur secundum potentiam & amplitudinem eorum principum quos repræsentant.

Procedemus jam ad trutinanda, & eventilanda Argumenta Regis Catholici, seu Hispaniarum Monarchæ in ordine ad dignitatem præcedentiæ, quæ summa cum fidelitate excerpta & deprompta erunt ex suis propriis Authoribus, *viz.* ex Jacobo Valdez, Francisco Vasquez, ex Besoldo, Augustino Cavallis, & Caranato cum quibusdam Aliis: Et hæc sit

Periodus Secunda Sectionis.



Tertia vel penultima Sectio.

Continens Rationes & Argumenta quibus Rex Hispaniarum prætendit, vendicatq; prioritatem loci, & Sessionem Imperatori proximam in omnibus Congressibus publicis, & Transactionibus Status, *&c.*

Quæ Rationes

Redigentur etiam Secundum priorem Methodum in decem Argumenta.

Primum Argumentum

Probans, quod Rex Catholicus vendicare possit dignitatem præcedentiæ, eo quod Hispania sit nobilissimum totius Europæ Regnum, quia Caput ejus semper æstimata fuit.

Secundum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum possit de Jure dignitatem præcedentiæ vendicare ab Authoritate Conciliorum Universalium, & Doctorum Ecclesiæ.

Ter-

Tertium Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum vendicare possit præcedentiam, quoniam Hispania prima recepit, & professa est Fidem Catholicam; Quoniam prima Ecclesia Christiana ibi fundata; primum Concilium ibi celebratum; primus Episcopus ibi consecratus; & primus Imperator electus fuerit, &c.

Quartum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum vendicare possit dignitatem præcedentiæ quia est Rex Catholicus, *qui Titulus, antiquior est quàm* Christianissimus.

Quintum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum dignitatem præcedentiæ possit vendicare, eo quod magnitudine Regnorum, potentia, & Divitiis antecellat reliquos omnes.

Sextum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum vendicare possit præcedentiæ dignitatem ob Nobilitatem prosapiæ, & quod Regnum Galliæ de Jure pertinebat ad Philippum Quartum Regem Catholicum.

Septi-

Septimum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum de Jure dignitatem præcedentiæ sibi possit vendicare, eo quod sit Rex Hierosolymæ, &c.

Octavum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum justè possit vendicare dignitatem præcedentiæ ratione liberi & absoluti dominii, & quod Imperia *sibi habeat subjecta.*

Nonum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum de Jure possit vendicare dignitatem præcedentiæ, eo quod tam magna & immensa fecerit officia Christianæ Ecclesiæ.

Decimum, & ultimum Argumentum

Probans, Quod Rex Hispaniarum possit de Jure dignitatem præcedentiæ vendicare, eo quod universalis Ecclesia recipiat majorem protectionem & emolumenta ab eo, quam ab ullo alio quocunque principe Christiano, &c.

OMnia hæc Argumenta sigillatim discussa erunt & distinctis paragraphis comprehensa,& distillaturi sumus *Elixir*,viresque & virtutem eorum ex celebrioribus Hispaniæ Authoribus: Sed Lector præadvertendus est Illum non posse heic expectare particulares Quotationes, & margines quibus Hispani Authores maxima ex parte abundare solent, & quæ reverà ad Doctores Civiles & Juristas pertinent, neutiquam hoc, sed præsens Author procedit liberiori, & generosiori modo; Tamen lector Illi possit credere absque coercione vel abusu suæ Fidei, quia ea quæ producit extracta sunt non minori cura quàm fidelitate ex prædictis Authoribus suisque propriis expressionibus qui prærogativas Coronæ Hispaniæ propugnant, & sic exordiemur a primo Argumento.

Primum Argumentum

Quod Hispania est Caput Europæ, & ex consequente Regnum Illius nobilissimum.

PRincipium cujuscunque Rei, ut solet esse difficillimum, ita æstimatur esse dignissima & nobilissima pars, quia Caput est, & Scaturigo ex qua omnes aliæ partes profluunt; Ita Salvator noster vocatur principium & Caput cujus omnes Fideles membra sunt;Ille est tam Αλφα quam Ωμέγα, Et ejus Vicarius Generalis in terra, *Papa* scilicet, vocatur *Caput Ecclesiæ Militantis.*

Nam in Capite, ut Philosophi nos instruunt, Na-

Natura detegit præcipuam artem suam in architectura, & compositione humanæ creaturæ, *Microcosmo* scilicet, eò quod in Capite omnes sensus plantati sint; *Oculi* quæ sunt fenestræ animæ, ibi fixi sunt; *Lingua*, quæ est præcipuus ejus Interpres, ibi posita est; *Auditus* qui est sensus Disciplinæ, domicilium ibi habet; Imo vero tres Animæ Facultates ibi positæ sunt, *viz. Voluntas, Memoria* & *Intellectus* (quibus discernimur ab animalibus Irrationalibus) ibi tanquam in Capitolio morantur. Itaque, ut *Cassanæus* affirmat, Monstrum est non humana Creatura qui Corpus vellet Capiti æquiparare; Jam verò, consensu omnium, si Caput est prædominans pars Corporis, certo certius Ille qui gubernat Caput, dignior æstimari debet quàm Ille qui gubernat Corpus; Sicut Romæ quia æstimatur Capitalis Civitas Christianismi, & quia summus Pontifex est Episcopus *Romæ*, Ideoque agnoscitur Metropolitanus; & præcipuus inter omnes alios, nam excellentissimæ Civitati, & Diocæsi præest.

Jam verò, Argumentum, pro dignitate præcedentiæ, a Nobilitate Regni deductum multum Roboris & Rationis secum affert; Quapropter si *Rex Hispaniæ* Ille sit qui gubernat Caput Europæi Orbis, sequitur eum vocari debere præcipuum Regem; Ad confirmandum quod Hispania Illa sit, producemus has Authoritates; Prima erit Plinii qui a Naturæ Secretis erat, & ita asserit, *Terrarum Orbis Universus in tres dividitur partes, in Europam, Asiam, & Africam; Origo ab Occasu solis, & Gaditano Freto quo irrumpens Oceanus Atlanticus in Maria inferiora diffunditur*; Hinc

constat quod principium Europæ sumitur ab Herculeis columnis in Freto Gaditano positis; *Strabo* etiam in sua Cosmographia, & alii antiquissimi Terræ Mensuratores in hoc concurrunt, Inter quos *Nicephorus* unus est, cùm ait, In Hispania sedes fixerunt quæ prima ab Hespero Regio est; & *Lucius Marinæus* Siculus affirmat de situ Hispania ita loquens, Hispania sicuti *Plinius* aliique scriptores tradiderunt, Regio prima in solis occasu Europæ terminos claudit; *Abrahamus Ortelius* etiam in suo *Orbis Theatro*, & *Cassinaus* hoc confitentur; Et dum æquiparant Europam speciocissimæ Virgini, Hispania posita est in Capite ejus in geographia *Johannis Encysi*; probari etiam potest duabus aliis rationibus *Hispaniam* esse Caput; prima, quod quum Terrestris Globus circundatus sit Oceano ab omni parte, Mare non potest se diffundere ad alluendas alias Regiones nisi a Regno Hispaniæ ubi Fretum Gaditanum est instar Fontis, principii & originis; Ubi porta aperitur, undeque tanquam a Capite se derivat per Europam, fluendo una via in *Mediterraneum*, & alia in Oceanum, ac hoc modo se protendit in Asiam & Europam; Itaque ab hoc Capite cætera membra procedunt, & ab hac scatebra alia promanant Maria tanquam Flumina, sicuti Plinius alio loco commemorat.

Secundò, Ingentissimo Honori est Regi Hispaniarum, quod novum Mundum solus dominetur, ubi Asia, Europa, & Africa ab omnibus veteris Orbis plagis tam ad Orientem, quam ad Occidentem, tam ad Borealem quàm ad Meridionalem solem accedunt, & ubi Hispania tanquam Caput & Re-

Regina gubernat, convertendo infinitas Regiones ad Fidem *Christianam* ut membra unius Capitis.

Quum jam constet Hispaniam esse Caput Europæ, restat probandum quod sit nobilissima Regio; Regnumque quo Oculus mundi non intuetur florentius; Nam quodcunque habet aliquid in se splendoris, & voluptatis, quodcunque expectari possit a Natura, Virtute, & Fortuna, Hispania abundè suppeditat; Subegit populos infinitos non minùs animosos quàm barbaros, strenuas & bellicosas gentes perdomuit tam prudentiâ quàm Armis; Quapropter Hispania debet habere præcedentiam ab omnibus Europæ Regionibus præter *Italiam*; Audiamus quid Justinus de ea tam disertè scribit; *Hispania neque ut Africa violento sole torretur; Neque ut Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter utrasque hinc temperato calore, inde fœlicibus, & tempestivis imbribus in omnia frugum genera fœcunda est, adeo ut non Ipsius tantùm Incolis verum etiam Italiæ, Urbique Romanæ cunctarum Rerum abundantia sufficiat.*

Quid de amœnitate soli proferam? Quid de salubritate Aeris, de excellentibus metallis, de exquisitissimis lanis, quid de Ferro & chalybe incomparabili; de fragrantissimis Vinis, de Serico, & gossipio delicatissimo quid loquar? Quid dicere possum de Fidelitate, & Fortitudine, de temperantia & sobrietate, de devotione & Sanctimonio, de Religione & pietate, de abstinentia, de miranda patientia, & constantia Incolarum?

Nec sola sibi sufficit, sed supplet defecta aliarum Nationum excessu suorum bonorum; Imperatore

res etiam, Generales, & Belli Duces exhibet aliis Regionibus; Legimus libro *Maccabæorum*, quod inter alia argumenta quibus Romani Duces solebant terrere Hebræos, unum erat quod subjugaverant plurimas partes *Hispaniæ*; Audi quid Insignissimus Ille Poeta *Claudianus* tam ingeniosè de Illa cantat hisce numeris.

Quid dignum memorare Tuis Hispania Terris
Vox Humana valet? primo lavat æquore solem
India; Tu fessos exacta luce jugales
Proluis, inque Tuo respirant sydera fluctu;
Dives equis, frugum facilis, pretiosa Metallis,
Principibus fœcunda Piis; Tibi sæcula debent
Trajanum; series his fontibus Ælia fluxit;
Hinc senior Pater, hinc Juvenum diademata Fratrum;
Namque aliæ Gentes quas Fœdere Roma recepit
Aut armis domuit, varios aptantur in usus
Imperii; Pharia segetes, & Punica Messis
Castrorum devota cibo, dat Gallia robur
Militis, Illyricis sudant equitatibus alæ;
Sola novum Latiis vectigal Iberia Rebus
Contulit Augustis, fruges, æraria, miles
Undique conveniunt, totoque ex orbe leguntur.
Hæc generat quæ cuncta regit, nec laude virorum
Censeri contenta fuit, nisi matribus æquè
Vinceret, & gemino certatim splendida sexu
Placillam, Mariamq: *daret, pulchramque* Serenam.

Et quam Innumera encomia resonent gloriæ Hispaniæ quibus selectissimi Anthores pleni sunt, tam

Poetæ,

Poetæ quam Philosophi & Chronologistæ, unum hunc proferam characterem elegantissimum quem Pacatus Latinus *de ea dat in celebri illo Panegyrico ad Theodosium Imperatorem quod ita se habet. Nam primùm Patria Tibi est Hispania Terra omnibus terris felicior, cui excolendæ atque adeo ditandæ impensius quàm cæteris gentibus supremus Ille rerum Fabricator indulsit; Quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur utriusque Axis temperie; Quæ hinc Pyreneis montibus, Illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni Maris luttoribus Coronata solertis naturæ ingenio velut alter Orbis includitur; Adde tot egregias Civitates, adde culta incultaq; loca vel fructibus plena, vel gregibus; Adde auriferorum opes Eluminum, adde radiantium metalla gemmarum; Scio fabulas Poetarum auribus mulcendis refertas aliquando nonnullis gentibus attribuisse miracula quæ dum sint vera sunt singula, nec jam exeutio veritatem,*&c.

Gloria Hispanæ Gentis antiquior est illa Romanorum; nam Fama ejus personabat inter Græcos bellis Peloponnesi, & Alcibiades in quadam Oratione cujus Thucydides mentionem facit, vocat *Hispanos Fortissimos, & pugnacissimos omnium Barbarorum*; Annæus *Florus* vocat *Hispaniam, Bellatricem, viris armisque nobilem, Annibalis eruditricem*; Nam quæcunque Facinora Bellica Annibal perpetraverat, erant cum Hispanis; Et observatu dignum est quod posteaquam Romani invaserant Hispaniam, postrema erat Regio quæ subjugabatur, prælaintes in Illa & pro Illa in mille dubiis, & obstinatissimis aciebus, In quibus nonnunquam Victi, nonnunquam Victores

res evaserunt longa ducentorum annorum intercapedine, quum tantum temporis non ad ullam Regionem redigendam consumpserant præter Magnam *Britanniam*, qui etiam luctabatur pertinacissimè circa eundem annorum numerum cum *Romanis* antequam reduci posset ad generalem obedientiam; Hoc demonstrat constantem & insitam fortitudinem utriusque Nationis, sed *Galli* spacio non nisi decem annorum profligati, attriti, & integrè subjugati fuerunt; Quod videtur induxisse Imperatorem *Julium Cæsarem* qui Illos superaverat dicere *Plebe Galliæ nihil contemptibilius.*

Argumentum Secundum

Quod Rex Catholicus *venditare possit Jus præcedentiæ Authoritate deducta a Conciliis Generalibus, & eruditis Ecclesiæ Doctoribus,* &c.

PHilosophus tundit Incudem *Rationis* ad illustrandas & confirmandas suas positiones; *Mathematicus* practicis & visibilibus experimentis perducit axiomata sua ad demonstrationes; *Juristæ* & *Theologi* Magna ex parte Theoremata sua confirmant Patrum Consultis, ac Authoritate Veterum, & exemplo Antiquitatis; Ac revera *Responsa Patrum, & Concilia Prudentum* Magna in veneratione habita sunt ab omni sæculo; Tantæ æstimationis, & momenti semper fuerunt, ut Argumentum ab Antiquitate deductum validus erat dispu-

disputandi modus; Quapropter Robur secundi hujus Argumenti positum erit in authoritate Antiquorum Universalium *Conciliorum*, quò constabit nobilissimum Regnum *Hispaniæ* habuisse dignitatem præcedentiæ a Regno Galliæ, & proinde ab omnibus aliis Christiani Orbis Regionibus.

Sed convenit, ut hæc Animadversio præcedat, Quòd superioritas Sessionis, & subscriptiones in Conciliis Oecumenicis diverso modo usitatæ fuerunt; Nam aliquando Episcopi non subscribebant, neque assidebant, nec suffragia sua exhibebant suo nomine, sed nomine Provinciæ, vel Regni quod repræsentabant; Et in tali casu multus non est habendus respectus ad personam, vel antiquitatem suæ Consecrationis, sed ad dignitatem nationis, vel loci; ut constat in duobus decretis *Gratiani*; Ideoque Episcopus *Mediolanensis* subscribebat ante Episcopum *Ravennæ*, quamvis *Ravenna* sit Antiquior Civitas; Hoc observatum fuit in *Nicæno* Concilio quo Episcopi dabant sua suffragia, & subscribebant non secundum prioritatem *Consecrationis*, sed dignitatem Provinciarum, & supremi principis qui eos miserat; Eodem modo procedebant in primo Concilio Constantinopoli celebrato, & in Aliis; Veruntamen, ut Baronius denotat, sedere ad dextram non semper implicat superioritatem loci; Nam refert, quod secundum antiquas Romæ consuetudines *Presbyteri* nonnunquam habebant dextram manum ab Episcopis, ut liquet his verbis, *Sedebunt ex locali dispositione ut intrantibus Ecclesiam* Episcopi *sint ad sinistram*, Presbyteri *verò ad dextram*, & quando Pontifex sederit,

sederit, & ad eos respexerit, *Episcopos* ad dextram, *Presbyteros* intueatur ad sinistram.

In primo Actu *Nicæna, & Chalcedonicæ* Synodi memoriæ traditum est, quod Legati Pontificii sedebant ad sinistram, Sacra Biblia in medio Aulæ posita erat, denotans quod Christus præsens erat, & Concilii præsidens; præterea in celebratione Missæ *Epistola* legebatur ad dextram, & evangelium ad lævam manum, quamvis notum sit Evangelium esse dignius.

His præmissis, urgebimus jam authoritatem antiquorum Conciliorum; Legimus in tempore Apostolorum, & ipsa Infantia Ecclesiæ quatuor Congregationes publicas, vel Concilia extitisse; *Primum* consistebat ex centum & viginti personis qui se conjunxerunt ad eligendum, & substituendum *Matthiam* in Apostolatu loco *Judæ*; *Secundum* erat ad eligendos *Diaconos*, quorum numero Beatus *Stephanus* protomartyr cooptatus erat. *Tertium* erat ad confutandum *Cerinthum* Hæreticum, & ad determinandum an *Circumcisio* continuari debeat. Quartum Concilium erat, ut honorabile funus *Circumcisioni* daretur: Observandum est quod ante duo posteriora Concilia celebrata fuerint, Sanctus *Jacobus* Apostolus peragraverat *Hispaniam*, & plurimis ad Christi fidem conversis, adduxit nonnullos ad *Hierosolymam*, qui, ut valdè verisimile est, interfuerunt duobus ultimis Conciliis; nam legimus in Actis Apostolorum quod omnes Fideles ibi erant Congregati; Paulo post, Sanctus *Jacobus* qui primus *Hispaniam* converterat, primus omnium Apostolorum *Martyr* factus est; nam decapitatus fuit ab

Herode

Herode Agrippa Anno quadragesimo quarto post *Incarnationem* Domini.

Hinc probabile est *Hispanos* interfuisse primis Apostolorum Conciliis; progrediemur jam ad Nicænum Concilium consultò prætermittendo Synodos *Ancyritanam* & *Illebiritanam* cum Aliis;) Jam verò Illud Nicænum primum erat Universale, vel Oecumenicum Concilium quod unquam celebratum fuit; Nam convocatum fuit sæculari authoritate *Constantini Imperatoris* tum Christiani facti. Istud celebre Concilium indictum fuit tempore Papæ *Sylvestris*, Anno Dom. 325. Et ut constat in Actis ejusdem Concilii, Episcopi non subscribebant secundum antiquitatem consecrationis, sed secundum dignitatem, & Famam Provinciarum quarum vices gerebant.

Osius Episcopus (*Cordubensis* missus erat ab *Hispania*, & *Nicasius Divinienfis* a *Gallia* ad dictum Concilium; sed *Osius* primus subsctipsit Canonibus Conciliis qui sunt primi legales & authentici Canones Ecclesiastici, nam ipse Imperator assensum suum dedit, Annales insuper attestantur trecentos & octodecem Episcopos subscripsisse Illis Canonibus, quæ subscriptiones ita incipiunt.

Osius Episcopus Civitatis Cordubensis Provincia Hispania dixit, Ita credo sicut superius scriptum est.

Victor & Vincentius Presbyteri Urbis Roma pro venerabili Viro Papa Episcopo nostro Sancto Sylvestro subscripsimus, Ita credentes sicut scriptum est.

Pro-

Provinciæ Ægypti Alexander Alexandriæ Magnæ, &c.
Provinciæ Galliarum Nicasius Diviensis.

Non ignari sumus quod Galli objiciunt *Osium* tum esse Legatum Papæ, ideoque Concessa Illi fuit præcedentia. Tamen ne γρυ quidem hujus rei dictum est in registris Concilii; Alii allegant quod quia *Osius* erat Vir singularis famæ, & æstimationis illo tempore, nam ad conversionem primi Imperatoris Christiani egregiam navaverat operam, honor ob id extraordinarius præstitus Illi fuit; nam *Nicephorus* eum appellat *miraculum Illius seculi*; *Athanasius etiam intitulat Illum Patrem Conciliorum, Ducem, & Antesignanum*; Sed *Ambrosius Morales* cum Aliis affirmat quod *Osius* subscripsit nulla alia ratione quàm quod esset Episcopus *Cordubæ*, & eo modo repræsentabat nobilissimam Regionem *Hispaniæ*; Et ob hoc præcedebat etiam Episcopum *Constantinopolitanum*, ut liquet in una littera quæ ad Papam scripta fuit a dicto Concilio *Niceno*, cujus verba ita se habent; *Beatissimo Papâ Urbis Romæ cum omni reverentia colendo Sylvestro, Osius Episcopus Civitatis Cordubensis; Et Macarius Ecclesiæ Constantinopolitanæ; Et Victor, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ ordinati ex directione Tua*, &c.

Postquam *Nicenum* Concilium celebratum fuit sub Papa *Sylvestro*, aliæ Synodus congregare solebant quibus Episcopi remotarum Regionum non interfuerunt, sed Illi qui parum distantes erant; Tamen Concilio *Sardi* habito, nam ita appellatur ab

ab *Athanasio*, conveniebant trecenti Occidentales Episcopi, & septuaginta Orientales quorum maxima pars Arrianismo infecti erant; In h c Concilio etiam *Hispania Romæ* proxima nominatur, sicuti constat in registro in his verbis, *Sancta Synodus Dei gratia ex Urbe Roma, Hispanis, Gallis, Italis*, &c. Et *Athanasius* in Apologia sua contra Arrianos sic refert. Fuere in magno *Sardico* Concilio plures quam trecenti Episcopi qui ex multis Provinciis Ægypti, Lybiæ, Pentapoleos, Palestinæ, *&c.* Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum, *&c.* eo se ad Concilium contulerunt.

Constantio Imperante Anno Dom. 358 duo, mandato ejus Concilia indicta fuerunt; Unum Episcoporum Orientalium *Seleucia* habitum; Alterum *Arimino* in Italia Episcopis Occidentalibus compositum, Et in Actis eorum *Hispania* semper nominatur ante *Galliam*; In primo Concilio habito *Constantinopoli*, & in Illo Romæ celebrato sub *Symacho* cum aliis non judicari possit quinam Episcopi præcedebant, usque ad Concilium *Lugdunense*; intelligo secundum Concilium *Lugduno* habitum Anno Dom. 1272 indictum a Papa Gregorio Decimo, Cui inter diversos Alios Legati a *Palæologo* Imperatore Orientali, nec non a Rege Tartariæ amandati fuerunt; Hoc solenne Concilium præcipuè indictum fuit 1. Ad componendas lites quæ inter Ecclesias *Latinam* & *Græcam* gliscebant indies; 2. Ad convertendos *Tartaros*; 3. Ad Expeditionem in Terram Sanctam; Maximus erat conventus; nam quingenti Archiepiscopi, & Episcopi, quadraginta Abbates, & plusquam mille præsules, & Doctores ibi interfuerunt, Inter

ter quos *Bonadventura*, & Angelicus Doctor *Thomas Aquinas* etiam ibi adstabant & vitas finierunt; *Jacobus* Rex Aragoniæ obnixè rogatus fuit a Pontifice interesse dicto Concilio sicut *Petrus Beuter* authenticus Scriptor refert in lingua Hispanica ut sequitur; *Viendo el Papa Gregorio que la yglesia tenia gran necessidad de Concilio para muchas cosas, y especialmente para las de ultramar, determinò de juntar Concilio en* Leon *en Francia para la Pascua del Spiritu Sancto, y embiava avisar el Rey de Aragon, Encareciendole que non faltasse de alli, teniendo necessidad de su præsencia, para dar consejo, y favor a la Santa Iglesia,*&c. *Fuele dada respuesta al Nuncio del Papa que el Rey Seria en Concilio sin alguna duda, y de heeho, despues de aver celebrado las Funerarias dela Reyna de Francia* Ysabel *su hiia, muger de Felipe; Assi se puso el Rey en camino dexando al Infante Don Pedro en Girona para que governasse la Tierra; y el primer dia de Mayo fue el Rey a* Leon; *Salieron le a recebir los Cardinales una legua de Leon, y fue tanta la Gente que salio de Arcobispos, Obispos, Abades, yo otros prelados de la Christianidad que tardo el Rey dende el lugar donde le recibieron los Cardinales hasta el Palacio del Papa desde la mannana hasta passado medio dia; en Palaçio salio el Papa revestido, y delante del Rey fuese a Sentar en su solio Pontifical, y fue el a ponerse de rodillas delante del haziendo le la obediencia que los Reyes sullen hazer a los Papas, luego mando el Papa que pusiessen una silla a su lado para el Rey; Tunose despues el Concilio con gran solennidad, hallando se en el iuntados quinientos entre Arcobispos, y Obispos, quarenta Abades,*

Abades, con mas de mil prelados, con los Embaxadores de los Tartaros, y de los Griegos, y de los Reyes Latinos; Tratose de la necessidad que tenia la Tierra Santa, y quiso el Papa, que el Rey dixesse su parecer; Empecò el Rey su habla tomando por fundamiento aquellas palabras del profeta Esayas, Surge, illuminare Jerusalem quia venit lumen tuum, *Hizo un sermon gracioso, y May substancial exhortando a todos los Estados para el Socorro de la Tierra Sancta do nuestra Redemcion se cumplio, y Ofreciose de passar alla con mil Cavalleros de linage, si el Papa passaria alla como ofreciera, Y dio razon particularmente como dos vezes se embarcara para passar alla, y las dos le embargara Dios al viage con fortunas y tempestades en la mar terribles; Por lo qual pensava que aun no venido era el tiempo en que Dios fuesse servido de dar la Tierra a los Christianos guardando lo para aquella hora que segun el creya se effectuaria; En aquel Concilio hablo con tanta gravedad, y tan buena gracia, Que el Papa y todo el Concilio le bendixeron; saliendo el Rey de la yglesia cavalgo en su cavallo, y Meneole dando unas bueltas, y arremitiendo que se espantaron todos viendo le tan viejo, y tan asido en el cavallo, y dixeron vnos Franceses,* Par mon ame sire, vous estes assez puissant pour conquerir les Mores; *Tuuieron embidia algunos Embaxadores de Reyes que alli estavan de la gloria del Rey de Aragon, y pareciendoles se les avia perjudicado a Senores en dar el primer lugar al Rey de Aragon Don Jayme, no quisieron concertarse en aquel Concilio; de suerte y Manera que ninguna cosa se concluyo.*

Ex

Ex hujus Historiæ descriptione satis apparet omnibus Regum Legatis Regem *Jacobum de Aragon* in sede præiisse in Concilio illo Lugdunensi secundo, licet in ipsa Gallia congregatum fuerit.

Sub Clemente Quinto Anno Domini 1311 Concilium Generale indictum fuit Civitate *Viennæ*, Cui trecenti Episcopi interfuerunt, cum multitudine præsulum, & aliorum Ecclesiasticorum; *Philippus Pulcher* Galliæ Rex cum Filio suo *Ludovico Huttin* ibi comparuerunt, sed Annales Illius Concilii nullam faciunt mentionem *præcedentiæ*, nec minus in Concilio *Mantuæ* habito sub Pio secundo Anno Domini 1458.

Concilium Basiliense tunc successit, & audiamus quid *Platina* ait in Vita *Eugenii* quarti his verbis, *Eo quod Basiliense Concilium jam antea inchoatum Martini decreto augeri indies cerneret concurrentibus eo* Hispaniæ, *Galliæ*, *Germaniæ*, &c. *principibus qui communem Christianæ Reipublicæ causam arbitrio disponebant*, &c. Ubi observatu dignum est *Hispaniam* nominari primam omnium aliarum Regionum.

In Concilio *Florencia* (at *Ferraræ* incepto) sub auspiciis *Eugenii* quarti, Cui Johannes *Palæologus* Græcus Imperator cum maxima Græcorum, & Latinorum præsulum confluentia, aliique supremi principes interfuerant, nulla mentio fit loci ullius superioris, aut controversiæ in Actis dicti Concilii inter Historiographos.

Ad celebre Concilium *Tridentinum* nunc accedimus, In quo Marchio *Pescaræ*, & Comes *de Luna* missi fuerunt successivè ad gerendas vices Philippi

Philippi ſecundi potentiſſimi & prudentiſſimi Illius Hiſpaniarum Monarchæ; compertum eſt in tranſactionibus Illius Concilii, quod nec In Congregatione Generali, & Seſſionibus Legatus Catholici Regis unquam ſequebatur Galliæ Legatum, ſed ſedem habens inter Nuncium Papæ, & Secretarium Concilii manu dextra, *Gallus* ad ſiniſtram ſedebat tam Legatorum Papæ quam Imperialium.

Ut procedamus jam ab Oecumenicis Conciliis ad nationalia, quocunque convenerunt Hiſpaniæ & Galliæ Legati, *Seſſio, Suffragium,* & *Subſcriptio* conceſſa fuit Hiſpaniæ tanquam Regno nobiliori: Sicuti conſtat in tertio Concilio *Toletano*, Ricaredo regnante, ut liquidò apparet in operibus *Garſiæ Loviſæ* præceptoris glorioſi Regis *Philippi* ſecundi, & poſtea Archiepiſcopi Toletani, cujus ſublimis eruditio cum mira integritate, & exemplari vitæ morumque Sanctitate ita contendebant inter ſe pro præcedentia, ut dictu ſit difficile quænam harum virtutum maximè in illo effulgerent, tam æquali ſplendore micabant.

In quarto Concilio *Toletano* frequens mentio fit in operibus quæ *Morales* (Author fide dignus) compoſuit *de Hiſpaniæ & Galliæ præſulibus*; *de Hiſpaniæ & Galliæ Sacerdotibus.*

Conſulamus jam Veteres, & venerandos Eccleſiæ Doctores, in quorum ſcriptis *Hiſpania* frequenter præfertur *Galliæ*; Prima inſtantia facta erit ex *Tertulliano* in libro contra Judæos, quo loquens de multitudine nationum quæ ad Chriſtianam Fidem convertebantur, ſic ait, *Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ Nationes, &*

Britannorum inaccessa loca Romanis, Christo verò subdita,&c.

Irenæi verba sunt valdè memorabilia quæ sic se habent, *Etsi in mundo dissimiles sint loquelæ, virtus tamen Traditionis una & eadem est; & neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in* Iberis *sunt, neque hæ quæ sunt in* Celtis; *Neq; hæ quæ sunt in Oriente; Neque hæ quæ sunt in Ægypto; Neque hæ quæ sunt in Lybia; Neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ; sed sicut Sol creatura Dei in universo mundo unus & idem est, sic lumen ac prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad Veritatis cognitionem venire.*

Concludemus hunc Paragraphum verbis Sancti Hieronymi, *viz. Hoc in Ecclesiis suis faciant quod Romæ, sive quod in Italia,* &c. *Quod in Hispania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias,* &c. Hæc præcedentia Hispaniæ confirmata est, & invenitur inter leges Imperatoris *Justiniani*; nam dicunt, *Quæcunque in partibus Hispaniarum, Galliæ sive Francorum aguntur,*&c. Et in legibus Justinianis singularis cura & cautela habita fuit tribuendi unicuique Regioni & populo suum Jus & prærogativas; nam præcipuus scopus ad quem collimant, erat *suum cuique tribuere*, & ut Justitia fieret universo orbi quantum ad dignitates, possessiones aut privilegia honoris spectabat.

Argu-

Argumentum Tertium

Asserens quod Rex Catholicus expectare debeat præcedentiam, eo quod Hispania *recepit, &* prima *professa est Catholicam Fidem; Quod* prima *Christiana Ecclesia in ea erecta fuerit; Quod* primum *Concilium in ea celebratum fuerit, Quod* primus *Episcopus, &* primus *Imperator ex ea fuerint*, &c.

ILli qui de gloria Nationum scribere sibi proponunt, præcipuè debent respicere earum originem, & Antiquitatem. Regula est notatu non indigna inter Topicas, *viz. Bonum quo Antiquius, eò melius.* Quapropter *Antiquitas* confert multum honori & præeminentiæ cujusque Nationis; Sicut Plinius eleganter exprimit dicens, *Reverere Gloriam Veterum; nam hæc ipsa senectus quæ in Homine venerabilis, in Urbibus sacra est.*

Quod ad originem *Hispaniæ* spectat, ac de ejus Indigenis cum propagatione & successione eorum, quatuor occurrunt consideranda in hujus rei Inquisitione; Primum, Quo populo Indigenæ Hispaniæ oriundi erant; Secundum quæ Transmigrationes factæ sunt, & quo tempore; Tertium quo Jure & Titulo, Hæc tria appellari possunt principia cujuslibet Regionis: Arcades ostentabant quod Synchronici, seu contemporarii cum Diis

 ipsis,

ipsis, quod ante solem & Lunam extiterunt; Aliæ Nationes conantur se derivare ante Diluvium.

Quod ad *Hispaniam* attinet, Annales concurrunt omnes quod *Tubal Cain* erat primus ejus populator, allectus amœnitate, & fertilitate glebæ & Climatis; Et hoc evenit Anno ab orbe condi- 2173, ac ante Incarnationem Dom. 1136, & 143 post Diluvium, vel Cataclymum Terræ generalem; *Berosus* refert quod Tubal regnavit in Hispania 151 annos, & *Strabo* cum *Beroso* in hoc concurrit. Nonnulli eum vocant *Jobel*, & Josephus vocat *Hispanos Jobeles* ab eo; *Setubal* in *Lusitania* hinc recipit suam denominationem, nec non *Tudela* in Regno *Navarra*; Imò quidam positi sunt in opinione quod *Noah* appulit in *Hispania*; nam in *Austria* locus est qui vocatur *Noega*, atq; etiam *Noela* in *Galicia*; *Hispania* etiam appellata fuit *Iberia* a Rege *Ibero*, & celebre Flumen interlabitur quod vulgò vocant *Ebro*, plurimiq; omnes alii Amnes alveum in eo petunt, & sese exonerant, quod causa fuit proverbii, *Me llamo Ebro porque de todas aguas bevo*; Vocatur etiam *Hesperia* a stella occidentali, & postremam recepit nomen *Hispania* a Rege *Hispano*.

Nunc accingemus nos ad probandum quod Hispania prima omnium professa est Religionem *Christianam*; Jam vero, sicut iste sublunaris & inferior mundus regitur motu & circumgyratione Cœlorum, Ita Christiana Respublica gubernantur *Religione*, & Fide, Piisque Illius professoribus; Quantum ad hoc *Hispania* honorem & prærogativam habuit quod primus Martyr inter Sanctos Apostolos fuerit ejus Fundator, & Pater, *Jacobus* scilicet,

ſcilicet, qui etiamſi decapitatus fuerit *Hieroſolymæ*, tamen admiranda providentia ſuum Corpus tranſvectum fuit ad Hiſpaniam, ubi Magnifica Domus, vel Templum nomen Illius gerens ædificatur in Honórem Dei, & dicti Apoſtoli, quod Templum frequentatum eſt ab Imperatoribus, Regibuſque & Reginis, nec non innumero confluxu peregrinorum quotidiè; Carolus *Magnus* eò peragrabat ad complenda ſua vota & devotiones quo tanta miracula indies eduntur; In Civitate *Terraconenſi* beatiſſima *Virgo* apparuit Sancto *Jacobo*, eique ordinem dedit Eccleſiam ibi erigendi, quæ eſt antiquiſſima omnium quæ inveniuntur in orbe Chriſtiano.

Præterea, quod ad prædicationem Sacro-Sancti Evangelii attinet, quo Cœleſtia Vitæ æternæ promiſſa continentur, In Hiſpania incepit tres annos poſt paſſionem Domini, ſicuti refertur in Hiſtoria Eccleſiaſtica Cardinalis *Baronii*, & confirmatur a Sacro Concilio *Tridentino*, & univerſa antiquitate; Ita ut impium foret illud in dubium vocare.

Poſt prædicationem Sancti *Jacobi*, Apoſtolus *Paulus* etiam viſitabat *Hiſpaniam*, Imò princeps Apoſtolorum illuc peregrinabatur, & inter Alios *Epinetus* converſus fuit; Ideoque Chriſtiana Fides ibi fundata fuit a tribus hiſce maximis Eccleſiæ columnis; Sanctus *Torquatus* Epiſcopus de *Gaudix* erat unus primorum quos Sanctus *Jacobus* Sacro baptiſmate lavavit; Et Oliva ibi invenitur quæ adhuc frondens, & frugifera eſt, manu etiam Sancti *Jacobi* plantata: Pons etiam adhuc remanet qui ſe miraculosè diruebat ſub Illis qui ſequeban-

tur, & persequebantur Chistianos fugientes: Ecclesia Sancti *Cecilii* exstat ad hunc usque diem in Civitate *Granatensi*, quò tanta miracula, & Sanationes indies fiunt; Ibi etiam invenitur *Val parayso* sive vallis Paradisi, ubi tanti cœlestes martyres passi sunt, & eorum reliquiæ adhuc inveniuntur, sicuti constat in Registro authentico quod dignum censui heic inserendum, & sic se habet.

In nomine Dom. nostri Jesu Christi,

En el anno ix. del Pontificado de nuestro santissimo Padre Clemente Octavo, y el anno 2. del Reyno del Clementissimo, y Catholico Don Philippo 3.

Nos Don Pedro de Castro, por la gracia de Dios, y de la santa sede Apostolica Arsobispo de Granada, del consejo del Rey nuestro senor, con consejo, y asenso de los Reverendissimos Prelados Don Juan de Fonseca Obispo de Guadix del consejo de su Magestad, provincial, y sufraganeo nuestro, y Don Sebastian Quintero Obispo de Gallipoli, y Don Alfonso de Mendosa Abad de Alcala la real. Aviendo tratado de las Reliquias que el anno del nacimiento de nuestro Salvador Jesu Christo de 1595. se hallaron deribando una torre antiquissima en esta santa Iglesia, y otras en el monte que Llaman Valparayso el conocimiento y approbacion de las quales nos pertenece por derecho, y por el santo Concilio de Trenta, y por comission especial de nuestro muy santo padre Clemente Octavo; Visto este processo, y todas las informaciones, averiguaciones, y diligentias en el hechas, y aviendo avido consejo, y deliberacion con barones muy doctos,

pios,

pios, y Theologos, y de otras facultades con nos congregados, y todo lo demas que fue necessario, y verse convino. Fallamos de un mesmo parecer, y asenso en que fueron todos conformes, que devemos declarar, declaramos, y defininos y pronunciamos las dichas Reliquias en este processo contenidas, Conviene a saber la mitad del panno con que nuestra sennora la gloriosa Virgen Maria limpio sus lagrimas en la passion de su Hiio nuestro Redemptor, y el huesso de San estevan protomartyr, ser, y que son verdaderamente el medio panno de nuestra sennora, y el huesso del protomartyr san Estevan, y aver estado ocultadas, cerradas, y guardadas dentro de una pared de la Torre antiquissima que estava edificada en el sitio donde se edifico la yglesia Mayor de Esta ciudad, Metidas en una caxa de plomo betunado por de dentro y de fuera; y dentro en la caxa, una carta de pergamino antiquissimo en el qual refiere Patricio sacerdote, que estavan las dichas Reliquias, y que ellas escondio por mandado de san Cecilio, y se hallo todo dentro en la dicha caxa de plomo, en el dicho anno de mil y quinientos y ochenta ocho, sabado dia de San Joseph en diez y nueve de Marco derribando, y dezhaziendo la dicha Torre; Assi mismo declaramos, definimos y pronunciamos los huessos, y polvos, y cenizas, y la Masa blanca que en el anno de noventa y cinco hallamos dentro de las cavernas del dicho monte que llaman Val de parayso ser verdaderamente Reliquias de santos Martyres que se gozan, y reynan con Dios nuestro sennor en el Cielo; Conviene a saber los sanctos Martyres san Cecilio, san Hiscio, y Ctesiphon, dicipulos del bien aventurado Apostol sanctiago el Zebedeo, y de san Setenerio, y Patricio

 dicipu-

dicipulos de san Cecilio, y de san Turillo, panunci, Maronio, Centulio dicipulos de san Hiscio, y Ctesyphon juntamente con ellos los dichos sus dicipulos, y san Mesiton aver padecido Martyrio quemados vivos dentro en las cuevas y cavernas del dicho monte por Jesu Christo nuestro Redemptor, y por su sancta Fe Catolica, & por la pradicacion, y publicacion del sancto Evangelio en el anno segundo del Imperio de Neron san Cecilio, y sus dicipulos en las Kalendas de Hebrero san Hiscio y sus dicipulos en Kalendas de Marco quemados como las piedras quando se buelven en cal; y san Ctesiphon y sus dicipulos en las kalendas de Abril, como lo dizen y muestran quatro laminas de plomo antiquissimas escritas en lengua latina con antiquissimos characteres, y otros instrumentos tambien de plomo antiquissimos que todo a estado çerrado, y ocultado dentro en las dichas cavernas hasta agora que lo hallamos en el dicho anno de 95, Y parece, resulta, y se averigua por este processo, y lo ha mostrado, y comprobado Dios nuestro sennor por muchos milagros.

En consequencia de lo qual declaramos las dichas Reliquias dever ser recebidas, honradas, veneradas, y adoradas con honra, y culto devido como Reliquias verdaderas de nuestra sennora, y de los dichos Martyres qui reynan con Dios nuestro sennor, segun que la Iglesia Catholica Romana acostumbra venerar las Reliquias de los Sanctos, y deven ser expuestas publicamente al pueblo Christiano, y a todos los Infieles para tal efecto, y que puedan invocarlos; Y nos, con los aqui congregados assi las recebimos y veneramos; Y mandamos que se pongan y colloquen en guardia y custodia y lugar

muy

muy decente a nuestro parecer ò de l Reverendissimo Arcobispo que fuere d' estra Sancta yglesia.

Y assi mismo declaramos el dicho lugar y monte de Val parayso en las cavernas del qual padecieron Martyrio todos los dichos sanctos ser lugar sancto, y sagrado, y deve ser venerado y honrado como las dichas laminas lo mandan en memoria de los santos que padeciron Martyrio en el; Y tenerlas prærogativas que da el derecho, y los sacros Canones a los tales lugares sagrados; y Mandamos que en todo se les guarden; Y por esta nuestra sententia assi la pronunciamos, y firmamos de nuestro nombre, y sellamos con nuestro sello pendiente.

Petrus de Castro Archiep, Granat.
Johannes Episcopus Guadix, ssi.
S. Episcop. Galiponen, ssi.
Alphonsus Abbas, ssi.
Cum Aliis.

Præter hos, post debitum processum, alia sententia pronunciata fuit pro Aliis celebribus Sanctis, qui erant S. *Secundus* Episcopus Abulensis, ubi corpus Illius in Magna veneratione habetur usque adhuc; S. *Indalecius* Episcopus Urcetanus in Regno Aragonensi contermino Navarræ Regno; S. *Ctesiphon* Episcopus Abderitanus, vulgo *Almeria*; S. *Hesychius* Episcopus Carthesanus prope Asturicam; S. Euphrasius Episcopus Illiturgitanus in Bœtica, qui ut Cardinalis *Baronius* asserit, Auditor erat, & Discipulus Apostoli *Jacobi*, & ordinatus fuit Episcopus Anno Domini 43. Claudio Cæsare Imperante; Præter Hos etiam *Atha-*

Athanasius & *Theodorus* ponuntur juxta corpus Apostoli, unus ad dextrum latus, Alter ad sinistrum Illius, & maxima vigilantia huc usque præservantur.

Jam verò singuli isti Martyres, & Patroni Hispaniæ memorantur a Cardinale *Baronio*; & a Galesino in suis Martyrologiis, Atque etiam a Vaseo, Morales, & Mariana, *&c.*

Jam verò quod *Paulus* Apostolus fuerit Hispania, audiamus quod Papa *Gregorius* septimus asserit in sua Epistola, *Gregorius Episcopus servus servorum Dei Alphonso, & Sanctis Regibus Hispaniæ, Abbatibus & Episcopis in Ditione sua constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem; Cum Beatus Apostolus* Paulus *Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem Episcopos ab Urbe Roma ad instituendos Hispaniæ populos a Petro & Paulo Apostolis directos fuisse qui destructa Idololatria Christianitatem fundaverunt, Religionem Plantaverunt, ordinem & officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesiam seminarunt, vestra diligentia non ignoret quantam concordiam cum Romana Urbe Hispania in Religione & ordine Divini officii habuisse satis patet.* Hinc constat & innumeris aliis testimoniis quam dulcis harmonia & concordantia semper fuerit observata inter Hispaniam & Romam; Et quomodo prædicatio Christianæ Fidei cum Illius Institutione incepta ab Apostolo Jacobo, propagata fuerit ab Apostolis Petro & Paulo, & confirmata a prædictis Martyribus, qui Auditores & Discipuli erant Sancti Jacobi, præter multos alios quorum clara mentio fit in Martyrologiis.

Du-

Durante ſecunda perſecutione ſub Domitiano poſt crudelitates Neronis, Eugenius Epiſcopus Toletanus diſcipulus erat Dionyſii Areopagitæ; Iſte Eugenius Vir excellentiſſimæ ſapientiæ, & Doctrinæ, elegit Toletum pro ſua ſede eo quod ſita erat in centro Regni,& ut Spiritus Chriſti inde diffunderetur ſicut profluens a Corde in cæteras Hiſpaniæ partes; Cujus Eugenii Corpus tranſlatum fuit a Gallia ad Eccleſiam Toletanam, & ſupervectum humeris Ipſius Religioſiſſimi Regis Philippi ſecundi bona parte viæ Anno Domini, 1565.

Præterea clarò conſtat in Annalibus Fide dignis ut Mariana refert quod Papa Clemens immediatus ſancti Petri ſucceſſor, mittebat Philippum & Marcellum ad Hiſpaniam ut ſui Legati, cum litteris Apoſtolicis, & Commiſſione ad id requiſita; conſenſu omnium primi erant Legati qui attulerunt Litteras Apoſtolicas a Roma per ſuos Nuncios, quæ litteræ adhuc reperiuntur in Eccleſia Compoſtellæ.

Durante tertia perſecutione ſub *Trajano* Sanctus Mancius Hiſpaniæ floruit, qui unus erat ſeptuaginta duorum Diſcipulorum noſtri Redemptoris, & Illi ſubſerviebat in adminiſtratione Sanctiſſimi Sacramenti, & ſpargebat ſua veſtimenta quando Dominus introibat Hieroſoymam Dominicâ palmatum, qui poſtea factus eſt glorioſiſſimus Martyr.

Vaceus Epitaphium recitat quod ita ſe habet, *Belila Hiſpana ſerva Jeſu Chriſti requievit in Domino. Objit æra* 115. *hoc eſt Anno Domini* 77 *poſt paſſionem*; *Venerus* etiam atteſtatur hoc Epi-

Epitaphium repertum fuisse in Cantabria, vulgo Biscaya.

Alia quoque Apostolica Epistola a Papa Clemente missa fuit ad Episcopos Hispaniæ, quæ huc usque conservatur in Ecclesia Compostellana. Iste fuit status Ecclesiæ Hispanicæ primo sæculo post nativitatem Domini, quo Johannes Evangelista vixit, quo tempore tredecem Episcopatus numerantur in Hispania, cum multitudine Fidelium; Nam in Civitate Pampelonæ quadraginta mille conversi fuerunt; Cantabria etiam maxima ex parte inhabitata fuit a Christianis, & Martyribus ut Iræneus testatur, Author qui vixit propè tempora Apostolorum.

Porrò, Rarum quoddam & cœleste spectaculum visum fuit in Hispania nec minus miraculo; nam eadem nocte qua salvator mundi nascebatur, tres soles visibiliter apparuerunt in Hispana Regione, qui lento quodam gradu concentrati fuerant in uno globo.

Ex præmissis hæc conclusio liquido resultat, quod protomartyr inter Apostolos prædicavit in Hispania; Quod in Illa erexit primam Ecclesiam Beatissimæ *Virgini* dedicatam; Imo Annales Ecclesiastici testantur Beatissimam Virginem ab Angelis conductam ibi apparuisse; Corpus sancti Jacobi ibi magnificè inhumatum jacet; Et omnia hæc contigerunt antequam Evangelium Christi prædicatum fuit in Gallia; Ex quo constat primum Apostolum, primos Fideles, primam Ecclesiam, primum Nuncium Pontificialem, & primam Epistolam Apostolicam missam fuisse ad Hispaniam; Constat insuper quod sanctus Paulus secun-

dabat

dabat quod Jacobus inchoaverat; Et hæc omnia confirmantur a sancto Irænео qui unus erat ex primis Patrum Ecclesiæ Christi Primitivorum.

Argumentum Quartum

Quo Probatur, quod Rex Hispaniarum possit reposcere dignitatem præcedentiæ quia gerit Titulum Regis Catholici, *qui Antiquior est Titulo* Christianissimi, *&c.*

MAximo quo *Gallia* nititur fundamento vendicandi dignitatem præcedentiæ, est, quod Mundo persuadere vellet suos Reges Antiquiores esse tam in Receptione quam professione Fidei Christianæ; Quæ Assertio si bene examinata, & discussa fuerit, constabit quod Christiani Reges prius extiterunt in Hispania quam in Gallia; & ut Methodicè procedamus, negotium ab Initio deducemus.

Notum est quod Beatus. Apostolus sanctus Jacobus interemptus fuit gladio Regis Herodis, sicuti constat in Epistola Papæ *Leonis* de suo Martyrio,& de translatione sui corporis in Hispaniam, Quæ Epistola Hispanis solum designata fuit, in qua Relationem facit, Quod quando Judæi ejecerant suum corpus extra Civitatem ut devoraretur a bestiis, & avibus, Discipuli Illius cùm certiores essent facti hujus rei, recuperabant integrum

grum corpus cum capite nocturno tempore, & Illud tulerunt ad Joppam, ut inde transportaretur ad Hispaniam; Cùm soliciti essent navim invenire, ecce una miraculose se obtulit in portu,& nonnulli dicunt Illam a Petro factam esse, In qua post actiones gratiarum posuerunt Corpus Beati Apostoli; Et post varia rerum discrimina appulerunt in *Iria Flavia*, & inde pertulerunt illud ad *Liberum Donum* quod nunc appellatur *Compostella*, ubi sepultum fuit in uno marmoreo monumento; Verùm dum impediti essent locum invenire tam Magno Apostolo idoneum, sese applicarunt ad Reginam *Lupariam* ceu *Lupam*, quæ mittebat eos ad Regem *Philotrum* qui conjiciens eos in quoddam obscurum carcer, liberati fuerunt ab Angelo; Et dum milites eos persequebantur, omnes submersi fuerunt in Fluvio qui intercurrebat, ponte sub pedibus eorum subito cadente, quo miraculo Philotrus conversus fuit ad Fidem Christi; sed *Luparia* adhuc obstinata erat, & mandabat ut conjicerentur tauris & draconibus devorari, quorum trucidarunt nonnullos, & reliqui mansueti facti sunt, & exævieb ant; Regina *Luparia* hisce miraculis convicta ordinem dedit ædificandi templum sancto Apostolo dedicatum, ut *Faber* ex Sophronio affirmat; Et quia *Morales* hoc in dubium vocat, eo quod Hispania tum erat sub ditione Romanorum, ideoque non posset habere Reges; Tamen probabile est aliquos inveniri Regulos qui fiebant Tributarii Romanis, sicut Herodes Agrippa erat Hierosolymæ, nec non Regina *Candacis*; sed quia hæc longævitate obsepta sunt, acceleremus ad recentiora tempora.

Se-

Secundo tempore quo Hispania accepit influentias Christianæ Fidei, erat sub Imperio *Constantini* Magni, qui tam gloriosum Ecclesiæ Instrumentum evasit cum Matre sua *Helena Britanna* etiam Nationis cum qua concurrebat *Osius* Episcopus Hispanus, de quo antea dictum est, qui magnam navabat operam pro conversione Imperatoris; Paulo post *Theodosius* Imperator qui etiam Hispanus erat, propagabat Fidem publicè diruendo Fana Paganorum quæ Idolis referta erant, Filiique sui succedebant.

Tertio tempore quo Hispania confirmata fuit in Fide Christi erat, quando sedes Imperialis translata fuit a *Roma* ad *Constantinopolin*; nam tum diversæ asperæ Nationes irruperunt in partes occidentales Imperii, quo contigit quod *Gothi* invadebant Hispaniam, seque in ea stabiliebant; & singulari Dei providentia tunc temporis Catholicus Rex erat in *Hispania* antequam ullus regnarat in *Gallia*; Nam Anno Domini 554 *Athanagildus* Rex Gothorum secundum assensum omnium Historiographorum profitebatur Christianam Fidem, ut Lucas Tudensis testatur; Tum successit *Leonegildus*; Paulo post regnavit *Richaredus*, & sub ejus dominio universum Hispaniæ Regnum factum est Catholicum, & miro modo effloruit.

Veruntamen Galli objiciunt quod Anno Domini 496 Rex *Clodovæus* baptisatus fuit a sancto *Remigio* qui erat ante tempus *Richaredi* in Hispania. Ad hoc respondetur, quod universa Galliæ Regio non erat tunc conversa, nec erat *Clodovæus* Rex totius Galliæ, sicut Richaredus erat Hispa-

Hiſpaniæ; Nam Gregorius Turonenſis refert, quod etiamſi *Clodovæus*, cum duabus ſuis ſororibus, baptiſatus fuerit, & tres mille Gallorum amplius, tamen Integrum Regnum longa temporis intercapedine non factum eſt Chriſtianum; ſed Hiſpania integrè reducta fuit ad Fidem ante illud tempus; Et publica profeſſio Chriſtianitatis facta fuit in Concilio *Toletano*.

Præterea, bona pars Galliæ tum ſubjecta erat Theodorico Regi Oſtrogothorum qui regnabat in Italia & erat Arrianæ Hæreſis; ſed tota Hiſpania Richaredo ſubjecta erat: Quo infertur Hiſpaniam generaliter loquendo habuiſſe Chriſtianum Regem ante Galliam; Sed ſi voluerimus dividere Hiſpaniam in provincias, diverſæ earum gaviſæ ſunt lumine Evangelii ante tempus Clodovæi; Nam *Rechiarius* Chriſtianus erat Anno Dom. 440. præterea obſervatu dignum eſt quod a Richaredo ne unus quidem Hiſpaniæ Rex defecit a a Religione Chriſtiana, quum plurimi Gallorum Regum diſceſſerint ab ea poſt Clodovæum, ut Chilpericus & alii, ſecundum atteſtationem *Gaguini* qui ita loquitur, Nec multo poſt *Chilpericus* cujus malitia ut in homines multis fraudibus perſpicua eſſet, in Deum quoque Impietatem meditatus eſt; De divina quidem Trinitate ita credi noluit ut tres in Illa perſonas ſed unam confiteretur, *&c. Mauſonius* etiam affirmat his verbis, *Chilpericus* cùm multis rebus impiè geſtis Deum ſibi iratum reddidiſſet, menſe quarto a natali Clodovæi ſucceſſoris ſui apud Callam vicum Pariſiorum occiditur.

Et in ultimo hoc sæculo Rex *Henricus Tertius* Galliæ Rex eo quod multa impietatis Acta perpetraverat, conjiciendo Cardinales in carcera, & ob alias prophanas res, violenter detrusus fuit ab hoc mundo in alium nescio quem.

Præterea, *Rechiarius* Rex Hispaniæ erat primus qui suavi zelo possessus protegendi veram Religionem, bellum gessit contra ejus Inimicos qui erant Gothi Arriani; Et ab eo tempore huc usque Reges Hispani maximi Athletes, & propugnatores extiterunt Catholicæ Ecclesiæ quandocunque res postulabat.

Sed jam aggrediemur Titulos *Christianissimi*, & *Catholici*, & Hispania justè gloriatur suos Reges appellatos fuisse Catholicos antequam Reges Galliæ vocabantur Christianissimi; Sed quia nomina sunt Rerum Imagines, daturi sumus primitivam horum Vocabulorum derivationem.

Neminem latet primos Christianæ Fidei propugnatores fuisse Sanctos Apostolos, & Discipulos, sed quidam discipulorum in errorem labentes, Orthodoxi Discipuli distinguebantur a falsis se vocantes *Christianos*, quod nomen assumserunt primùm in *Antiochia*, & postea factum est generale, eo quod derivetur a Christo, & Christus a Crismare seu Unctione; In tractu temporis evectum fuit a positivo gradu ad superlativum, *viz. Christianissimus*, quo Imperatores primùm vocabantur, & huc usque ut Gastaldus observat, Oratum est pro Illis in Oratione Parasceve signanter, *Oremus & pro Christianissimo Imperatore nostro*; Quo *Ferrault* deceptus est quando asserit quod hoc soli Regi Galliæ attribuendum sit; Præterea

plurimi Reges Hiſpaniæ habuerunt hunc Titulum iis datum ut Res & occaſio poſtulabat, ſicut conſtat in authenticis Annalibus; Nam *Richaredus* vocatus fuit *Chriſtianiſſimus* Anno Dom. 589, & poſt Illum *Siſebutus* Anno 616 cùm expulerat Judæos a Territoriis Hiſpaniæ; *Cinthillanus* ita appellatur in Sexto Concilio Toleti habito; & *Leo* Pontifex ſcribens *Quirico* vocat *Flavium Ervigium* tum Regem Hiſpaniarum *Chriſtianiſſimum* in quarto Concilio Toletano, & hoc contigit ante tempus Caroli Magni qui primus gerebat Illum Titulum in Gallia; *Ramicus* Rex Aragoniæ, & Sanctius Tertius, nec non Alphonſus Magnus gerebant Illum Titulum.

Examinemus jam quo tempore Titulus iſte *Chriſtianiſſimus* delatus fuerit Regibus Franciæ; Plurimi affirmant datum fuiſſe primùm *Carolo Magno*, ſed obſervandum eſt hoc factum fuiſſe & nonnullis ſuorum Succeſſorum quia *Imperatores* erant; nam ordinarius titulus Regis Franciæ erat *Illuſtris.* Alia opinio eſt quod Papa *Pius* ſecundus indulgebat Titulum Chriſtianiſſimi *Ludovico* undecimo Regi Franciæ, & quod *Carolus* Pater Illius eundem tenuit in Concilio Mantuæ habito Anno Dom. 1459.

Sed præſupponatur Reges Franciæ habuiſſe Titulum *Chriſtianiſſimi* conceſſum Illis poſt Carolum Magnum, tamen Titulus *Catholici* datum fuerat ante id tempus Regibus Hiſpaniarum; nam *Alphonſus* gener Pelagii gerebat Illum Titulum Anno Dom. 734 ſicut *Garibai* & *Morales* affirmant, ſuumque Epitaphium in Tumulo poſitum hoc probat, quo inveniuntur hæc verba inſculpta, *Alphonſus*

fuis Catholicus. Alii in opinione positi sunt quod *Richaredus* qui *Arrianam Hæresin* contudit, primus intitulatus fuit *Catholicus.* Discussa jam Antiquitate horum titulorum, examinanda est excellentia eorum, & quisnam sit superior *Christianissimus* aut *Catholicus* quamvis uterque sublimis & gloriosissimus sit.

Quantum ad Titulum *Catholici* spectat vocabulum tam completum est ut nihil Illi addi possit, ideoque non admittit *Superlativum*; Tam augustæ comprehensionis & latitudinis est quod *Universale* quoddam dici possit secundum veram Etymologiam Græcæ dictionis; Jam verò celebre axioma est in omnibus scientiis, *Qui totum dicit, nihil excludit*; quapropter dicimus Ecclesiam *Catholicam* non Catholicissimam; sicut etiam dicimus Concilium Oecumenicum vel Universale non Universalissimum.

Et sine dubio hic terminus *Catholicus* debet esse valoris extraordinarii, & antiquæ extractionis, quia Epitheton datum fuerit Ecclesiæ Christi in symbolo Apostolico, in prima Confessione Fidei, *viz. Credo in spiritum sanctum, & sanctam Ecclesiam Catholicam*; Jam vero, ut indigitatum fuit antea, quum quivis Fidelis vocatus primùm fuerit *Christianus*, & postea cum errores inceperant irrepere in Ecclesiam, nomen *Catholici* inventum fuerit, hoc nomen distinctionis gratia datum Illi fuit qui remanebat constans & immobilis in Fide Domini, & doctrinis orthodoxæ Ecclesiæ, quum nomen generale *Christiani* comprehenderet etiam Hæreticos veluti Pacianus observat contra Novatianos, *Christianus mihi nomen est, Catholicus*

R 2 *Cogno-*

men; *Illud me nuncupat*, *Istud ostendit*, *Hoc probat*, *Illud significat*; Hinc constat nomen Catholici distinxisse Orthodoxum Fidelem ab Hæretico; Quo singularis excellentia hujus verbi apparet eo quod primitivum Attributum sit tam Ecclesiæ, quam Fidei, nam utraque vocatur *Catholica*; Nec sequitur quamvis omnis *Catholicus* sit *Christianus*, quod omnis Christianus sit Catholicus; Nam quando aliquis vocatur *Catholicus*, intelligitur quod Ille *Electus* sit, quod Fidelis, constans, purus, & obediens sit doctrinæ sanctæ Ecclesiæ absque mistione ulla aut macula; Ideoque iste sublimis Titulus dignissimè & peculiariter Regi Hispaniarum defertur eo quod non permittat ullos Apostatas, aut Schismaticos nidificare in suis Dominiis, sicut Rex Galliæ, & Alii permittunt, sed humillima filiali obedientia adhæret firmiter Catholicæ Matri Ecclesiæ quæ est *Romana*; Nam Catholica & Romana Ecclesia sunt Synomina secundum verba aurea sancti *Cypriani* qui inquit, *Dividi a Romano* Pontifice idem quod ab universa Ecclesia Schismate separari; Rursum Illam Communicare, id ipsum esse quod Catholicæ unitati conjungi.

Argumen-

Argumentum Quintum

Quo asseritur Regem Catholicum Antecedere debere, eo quod omnes Alios excellat tam Magnitudine Regnorum , quam potentia, tam Territoriis quam Thesauris, &c.

MUltitudo Regnorum, Affluentia divitiarum, & magnitudo potentiæ ad tale fastigium evehit quemcunque Regem, ut ubi hæc tria concurrunt, sufficiens Argumentum est, tam Divina lege quàm Humana, quod Ille Rex prioritatem Sessionis, Et Dignitatem antecedentiæ de Jure vendicare possit.

Jam vero, ipsa Creatoris constitutione, & naturæ dictamine in omnibus Rebus superioritas quædam eminere videtur ; *Æternitas* antecedit *Tempus*; *Intellectus Rationem, Ratio sensum*, sensus vegetationem ; Contemplemur fabricam Cœlestium creaturarum, ac pulchritudinem stellarum & inveniemus solem esse eorum principem, nec non stellas inter se differre in Gloria ; Ita etiam in elementari seu mundo inferiori, sed præcipuè in Humano genere, quidam sunt Illustriores, quidam potentiores, & eminentiores Aliis ; natura nobis demonstrat *Omnes digitos manus non esse æquales* ; Et Philosophi observant hanc Inæqualitatem conferre ad decorem Universi ; Manilius sic canit

Est æquale nihil, Terrenos aspice Tractus.

Montes cum Vallibus, Valles cum montibus; Cedrus cum arbusto, Arbustum cum cedro conducunt ad Terræ pulchritudinem; Ab isto argumento sequitur, Illum esse maximè sublimem, & qui meritò possit vendicare præeminentiam qui multitudine populi, qui extensione Regionûm, qui opulentia & divitiis exsuperat; Jam verò si Rex *Catholicus* antecellit in omnibus his privilegiis, sicuti nonnulli Authores Ipsius Galliæ confitentur Ipsi, consentaneum est Rationi quod prima sedes Illi assignetur; *Regum sapientissimus* ait, *quod in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis Ignominia principis*; Quapropter in Conciliis Universalibus Illud in quo maximus Episcoporum numerus, æstimatur Illustrius, & majorem secum Authoritatem affert, quam Provincialis Convocatio, aut Synodus quæ conflatur a Paucioribus.

Procedamus jam ad *Herculeum* illud Argumentum, *viz.* ad probandum Regem *Catholicum* potentiorem esse amplitudine, & multitudine Dominiorum quàm alius quicunq; Monarcha; Perlustremus solam Hispaniam, & largum Imperium apparebit; Verum est, Hispaniam in sæculis retroactis divisam fuisse in diversa Regna, ut *Castellæ, Aragoniæ, Navarræ, Legionum*, &c. Sed quasi duobus sæculis jam elapsis sub ditione unius Monarchæ omnes sunt; Addamus his Regnum *Neapolitanum* & *Calabriæ* cum Ducatu *Mediolanensi*, quæ plusquam dimidium totius Italiæ continent; Dominus est Belgii, sive Inferioris Germaniæ

quæ

quæ est populosa & florentissima Terra; Regna *Siciliæ, Sardiniæ, Balearium*, in Mediterraneo, nec non Fortunatarum Insularum in Atlantico Mari quæ vulgo *las Islas de Canaria* vocantur, sub Imperio Hispaniæ sunt; Ad oras, & littora *Mauritaniæ* plurima inexpugnabilia loca retinet; Habet Moluccas, & *Philippinas* Insulas quæ innumeræ sunt in Indiis Orientalibus, denominantur omnes a Magno *Philippo* Rege Hispaniarum; Hispanorum Navigatio erat quæ confutabat communem Paradoxum *non esse Antipodes*, quod judicabatur *Hæresis* esse, Ideoque Episcopus quidam incarceratus erat.

Dii Immortales, Quam Heroicum, & Incomparabile Actum erat exploratio, & conquestus *Americæ* (seu Indiarum Occidentalium) Quæ æquiparari magnitudine possit & numero gentium Toti Orbi Veteri, si exacta fieret comparatio; Quæ immensa Benedictio Hispaniæ reservata fuit a Divina providentia; Sed quanta obstacula, difficultates, & imminentia pericula se objiciebant? Primùm, Incertitudo rei, & vastus ille Oceani tractus qui interfluebat; Tum Ingentes sumptus Itineris & expeditionis; alteratio Cœli, diversitas novorum Climatum, & innumera Gentium multitudo cum quibus conflicturi erant, qui millies superabant eos in numero: Verum est hasce Imaginationes & dubia, ut tanta Gorgonum capita, se in principio obtulisse; sed tantus erat vigor, & virilitas Hispana, tanta erat ejus constantia, ut perrumpens, & superans omnes has difficultates, ad optatum finem ingens & plus quam Herculeum Illud Opus perduxerit; Innumeræ Illæ gentes,

& ferox populus, ficut torvus & truculentus quidam aper spumans ore, dente fremens, volvens sævientes oculos modò huc, modo illuc, dorso horrentibus hispidisque setis, callosa cute caute duriore diu domari noluit; tandem viribus confractis *America* quietè succubuit pedibus *Hispaniæ*; & mutua merces, præmiumque a Divino numine accessit utrique; *Hispania* pro suo indefatigabili labore, & mira animi fortitudine mineria, montesque Auri & argenti, Imo flumina auro, Mariaque gemmis scatentia acquisivit, cum innumero genere mercium exoticarum quas Europæus Orbis nunquam viderat antea; Sed quænam retaliatio ab Hispania facta est? Thesaurum, & gemmam millies magis pretiosam Illa attulit Americis, *viz.* Christianam Religionem præ qua quisquiliæ cætera; quam ingentem navabat *Hispania* operam hanc Vitæ arborem serendi in America? *Boterus* refert unum Franciscani ordinis monachum baptizasse trecentos mille Americanos; Ita ut lumen Sacro-Sancti Evangelii jam radios suos tam longè latéque spargere dicitur, ut universa America plena sit aut Templis, Ecclesiis & Capellis, aut Monasteriis & Conventibus, vel Urbibus, & oppidis; vel Castris, præsidiis, & propugnaculis.

Quantum operæ impendunt Historici ad extollendas res ab *Alexandro* Magno gestas? Bene notum est Illum subegisse non nisi partem Asiæ? Sed *Philippus* Hispaniarum Monarcha debellasse, subjugasse, & vicisse dici possit Alium mundum ter Asia ampliorem; Quaproper Reges Hispani non Gesta sed miracula potiùs perfecerunt; Et sicut

Om-

Omnipotens Deus quando ædificat, non minorem fabricam quam Mundum creat; Quando indignatur, Universali diliuvio Iram suam sedat; Quandi Illi libuerit litare, non minorem victimam quam unicum Filium offert; Quando remunerat, non minorem dat mercedem quàm Cœlum ipsum; Quando bella gerit, legiones Angelorum armat, Oceanum se aperire, solemque stare facit; Eodem modo si ulla proportio fieri possit inter Finitum & Infinitum, Reges Hispaniæ, ingentia perpetrarunt facinora; Quando ædificant, non minorem Fabricam erigunt quam *Escurialem*; Quando Irascuntur, nationes integras ejiciunt ut *Judæos* & *Mauros*; Quando bono publico consulunt, *primogenitos* sacrificant; Quando præliantur & bella gerunt, non solum regna, & Nationes, sed novos mundos subjugare solent, ut scitè differit Ingeniosissimus *Lansius*; Ideoque Rex Hispaniæ secundum adagium de jure possit appellari *Rex Hominum*; Quum Reges Angliæ & Galliæ vocentur (secundum idem adagium) Ille Diabolorum, Hic Asinorum Rex; Ingens Ille Orientalis Monarcha quem vocant *Gran Mogor*, & Imperator *Persia*, superscribunt soli Hispaniarum Regi in suis litteris credentialibus *Regi qui gestat solem pro casside*, quo vasta sua Dominia in singulis Terrarum orbis partibus alluduntur, & quod sol in aliquibus eorum continuò splendescat.

Omnibus his justa Rationis bilance benè pensitatis, præjudicio, aut diminutioni honoris, & Vilipendio non potest ulli Regi esse quod Hispaniarum, & novi Mundi Monarcha Illi præferatur,

tur, si gloria & amplitudo Dominiorum, si mineria Auri, & multitudo gentium, si fulgor Majestatis, & potentiæ, si præter ea in Continente innumera regna Insularia quæ occupat, si longitudo brachii, gladiique respiciantur.

Argumentum Sextum

Quo probatur Regem Hispaniæ tam nobilitate stemmatis, quàm Regiis Insignibus debeat antecedere.

CAduceatores, seu genethliaci Feciales dividunt Nobilitatem in duo genera; Quædam oritur ab extractione & sanguine parentum, & hæc nobilitas ad progenitores magis quàm ad nos pertinet, quia ab Illis inseritur in nobis, & traducitur; Alia Nobilitas datur quæ Accidentalis, seu personalis appellari possit & non derivatur aliunde, sed procedit aut ab eruditione, vel eximiis naturæ dotibus, vel a merito & gloria Rerum gestarum, vel a copia facultatum & opulentia; Prima Nobilitas a parentibus & sanguine, secunda a Virtute emanat.

Jam verò inter alias Regum Hispaniæ prærogativas una est quod sit altissima scaturigo, principium, & fons nobilitatis & Honoris; Ideoque nemo procerum, & Satrapum quamvis illustri, & antiquissima prosapia oriundus sit, audebit se Regi æquiparare, sicut in Gallia aliquoties contingit, ubi nonnulli Satrapum gloriabuntur se esse Vetustiori familia quam Ipse Rex.

Jam

Jam verò non parum confert gloriæ cujuscunq; Regionis gubernari a principe longa serie annorum ab atavis illustribus oriundo: Textus Infallibilis nos admonet quod, *Beata Terra cujus Rex Nobilis est*; Dicitur alibi; *Quam pulchra est generatio cum claritate! Immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud Homines.*

Regna Hispaniæ gloriari possunt se habere Reges utriusque prædicti generis nobiles, tam a progeniali stemmate prædecessorum, & indole parentum, quàm a suipsorum meritis & virtute, vel ab Heroicis actis & magnanimitate; Vel a singulari prudentia, & Eruditione; Vel ab intensa devotione, & Sanctimonia.

Quod ad Regalem Genealogiæ arborem Regum Hispaniæ, Illam possumus afferre a familiis *Amalium* & *Baltheorum*, a quibus Reges *Visigothorum*, & *Ostrogothorum* extracti fuerunt mille annis jam transactis; Secundo a Gloriosa Domo *Austriaca*, quæ Imperialis, & verè Cæsarea Arbor appellari possit, eo quod tantos Imperatores produxerit qui continuati sunt in Illo stemmate sine interruptione ducentis jam annis præteritis, Quæ augusta Domus originem cepit a *Theabarto* quia *Sigebarto* Duce Germano, seu Teutonico ortus erat Anno Dom. Sexcentesimo quarto.

Quod ad Insignia Regum *Hispaniarum* spectat, nobilissima sunt, nec parùm conducit ad Regni cujusque eminentiam habere nobilia Insignia, & hoc nonnulli autumarunt dedecori fuisse Coronæ *Gallicæ*, cujus antiqua Insignia erant, *tres bufones in campo nigro*, quamvis significatio Hieroglyphici Rem

Rem excuſet, quo fœcundia Franciæ denotari volunt. Nam bufones generari ſolent in pingui gleba, tamen non occurrit alia deformior, & venenoſior Creatura & quam natura humana magis abhorreat.

Veruntamen converſione Regis Clodovæi ad Chriſtianam Fidem, Galli jactant Ancile quoddam geſtans tria *Lilia* cærulei coloris miraculosè delapſum fuiſſe e Cœlo (ſicut Ancile Regis Numæ in Roma, & Palladium in Troja delabantur) Quæ Lilia pro Inſignibus Galliæ huc uſque retinet; Sed Veritas illius miraculi a multis in dubium vocatur; Nam quidam Authores claſſici, *viz.* Æmilius, Gillius, Reginon, & Gregorius Turonenſis in vita Regis Clodovæi nullam talis Miraculi mentionem faciunt.

Sed præſupponatur Galliam habere rationem geſtandi *Lilia* pro ſuis Inſignibus Regiis, tamen Hiſpania geſtat nobiliora; nam Rex Catholicus *Crucem* in ſuo ſcuto dat; Nec deſunt Authentici Authores qui aſſerunt Antiquos *Cantabros*, vel Biſcainos, quos vel ipſi Romani non potuiſſent ſuperare, geſtabant *Crucem* in ſuis Vexillis ante Incarnationem Domini; Quod Inſigne Rex Pelagius ferebat quando erumpendo ex ſpelunca grandi vocata hucuſque *Cabadonga* cum plus minus mille Chriſtianis militibus profligabat 60000 Saracenos; In cujus rei memoriam, ut nonnulli opinantur, magna Eccleſia Cangas vocata Eccleſia ſanctæ Crucis erecta fuit, In qua ſepultus jacet cum ſigno Crucis inſculptæ in ſuo Tumulo; Et ſæculis poſtlapſis exemplo Regis *Pelagii* qui appellabatur *Inſtaurator Hiſpaniæ*, omnes ſucceſſivi Reges ge-

ſtabant

ſtabant *Crucem* in ſuis vexillis; Sanctus *Iſodorus* etiam qui poſt Apoſtolum *Jacobum* patronus eſt Hiſpaniæ, ſemper illam portabat, nam Epiſcopus, & miles erat, Ideoque ubicunque ille repreſentatur in pictura, aut ſtatua, Pontificali veſte indutus pingitur ferens *Crucem* in una manu, & *gladium* in altera; Porrò, ſicut *Oriflambe* quod præcipuum vexillum Franciæ æſtimatur, & cuſtoditur in magna Eccleſia Sancti Dionyſii, Ita in Eccleſia Cathedrali *Legionis* in Hiſpania vexillum Sancti *Iſodori* arctè & devotiſſimè ſervatur quod,ut occaſio poſtulabat urgentis neceſſitatis ſolebat afferri in campum contra Saracenos,.& poſtea contra Mauros, quò plures non minùs ſtupendæ quàm glorioſæ Victoriæ reportatæ fuerunt.

Neque eſt ſignum & ſymbolum Crucis *Inſigne Biſcayæ* & *Caſtellæ* ſolùm, ſed Aragoniæ etiam & Navarræ, & Ratio quæ adducitur in *Beutero*, *Illeſcas*, & *Tarupha* eſt, eò quod cùm Rex *Garcia Ximenes* in quaſdam anguſtias conjectus erat, & neceſſitate coactus inire prælium cum Saracenis qui numero Pugnantium ter ſuperabant, & cùm Chriſtianus exercitus animo dejectus eſſet, *Crux Rubra* apparuit inter ſolia cujuſdam Arboris clariſſimè reſplendens, quæ tantum animi, conſolationis, & fortudinis in milites infundebat,taleſque impreſſiones in cordibus faciebat, quod tali impetu & vigore in hoſtem irruebant, ut funditus everſus fuerit, & debellatus; Ideoque prædictus Rex *Garcia* vocabatur exinde Rex de *Sobrarbe*, eò quod Sancta Crux in arbore apparuerat.

Argu-

Argumentum Septimum

Quo probatur, quod Rex Catholicus antecedere debeat, eo quod sit Rex Hierosolymæ, & quod Jus Unctionis ad Illum *pertineat.*

CORsetus, *Grasalius*, aliisque Authores non incelebres affirmant quod in omni solemni pompa, & publicis congressibus, prima sedes in Ecclesia post Imperatorem concedi debeat Regi *Hierosolymæ*; Ad probandum hoc plurima adducuntur argumenta. 1. Quia salvator noster prædicavit, & passus est in Illa Civitate. 2. Quia prima Electio Apostolorum, & Discipulorum ibi facta est: 3. Eò quod in eadem Civitate maxima ediderit miracula. 4. Quòd sanctissimum sacramentum instituerit in Illa. 5. Quod ibi æternam humani generis salvationem consummaverit. 6. Quod ibi sepultus fuerit, cum pluribus aliis rationibus.

Jam vero quod Rex *Hispaniarum* de Jure sit Rex *Hierosolymæ*, nemo inficias ibit; Nam summus *Pontifex* in suis *Bullis*, & litteris Apostolicis, aliisque transactionibus Ecclesiasticis inter alios Titulos vocat Illum *Regem Hierosolymæ*; Conclave etiam, cum Collegio Cardinalium, & *In Rota*, vel superius Concilium Romæ, nec non Judicia Apostolicæ Cancellariæ quandocunque res postulat eundem titulum Regi Catholico attribuunt. Et sole in meridie posito clarius est hunc Titu-

Titulum illi debitum esse, eò quòd sit Rex Utriusque Siciliæ, *viz.* Calabriæ, Neapolis, & ipsius Insulæ Siciliæ, quod luculentè constat in omnibus Chronicis, & authenticis Annalibus; Quamvis Rex *Galliæ* in dubium vocet hoc jus quibusdam levibus argumentis quæ *Valdesius* & *Vasquez* nervosè confutant.

Neque negari possit *duplicem* Unctionem Illi debitam esse virtute Regnorum *Hierosolymæ*, & *Siciliæ*; Quum Reges *Angliæ* & *Galliæ* non nisi unam simplicem Unctionem habeant. Jam verò Quod Reges oleo sancto ungi debeant, Sacer Codex nos admonet; Nam in mandatis datum fuit a Deo omnipotente Cœlorum & Terræ Rege Prophetæ *Eliæ* suis verbis, *Unges Asachel Regem super Syriam, & Jehu filium Namasi unges Regem super Israel.* Alio loco Deus ipse loquitur, *Inveni David servum meum, & oleo sancto meo unxi eum*; Quapropter Reges Terreni vocantur *Christi*, *Uncti* scilicet a Deo ipso; Imo Rex *Cyrus* vocatur Christus in hoc sensu, sicut Textus sacer nos instruit, *Hæc dicit Dominus Cyro Christo ejus:* Inter alias Imperatoris prærogativas una est quod ungi debeat ab *ipso* summo Pontifice, quum Reges soleant ungi a suis præsulibus; & *Augustinus* de Ancona adducit rationem cur hæc ceremonia præscribatur, quia scilicet, Oleum significat lætitiam, promptitudinem debellandi Infideles, seu hostes Christianæ professionis & dimicandi pro orthodoxa Fide, & Victorias reportandi; Itaque in ludis Olympicis Luctatores solebant lacertos & humeros oleo innunctos habere, ut Poeta docet,

Exer-

Exercent Patrias Oleo labente Palæstras
Nudati socii---

Sanctus Rex & Psalmista ait Dilexisti Justitiam, & odisti Iniquitatem, propterea unxit te Deus Oleo lætitiæ præ consortibus tuis: Oleo etiam denotatur mundities conscientiæ & sapientia, sicut legimus in sacro Codice prudentes Virgines acceperunt Oleum in Vasibus suis.

Jam vero toto Cœlo aberrant, secundum opinionem Jacobi de Valdez, qui autumant, Reges istorum duorum Regnorum, *viz.* Hierosolymæ & Siciliæ cum Illis Galliæ & Angliæ solùm capaces esse Unctionis; nam ad omnes pertinet, sed in speciali modo Regi Catholico, qui mistam personā gerit inter Temporalem & spiritualem, nam inter ejus Titulos unus est quod sit *Canonigo de Burgos*, sicut Rex Galliæ vocatur etiam *Chanoine de Poiction*; His adjiciatur, Reges Hispaniæ multis sæculis elapsis *ungi* fuisse solitos, a tempore scilicet Regis *Vnamba*, & post Illum *Ervigius*; Nam textus Concilii Toletani clarè demonstrat, Serenissimus Ervigius princeps Regni conscenderit Regni culmen, Regnandique per sacram Unionem susceperit potestatem; post hos, omnes Gothici Reges a *Pelagio* solebant ungi Oleo Sancto.

Argu-

Argumentum Octavum

Quo asseritur, Quod Rex Hispaniarum debeat antecedere ob liberam, & absolutam potestatem quam exercet in suis Dominiis; Et quod Imperia *habeat sibi subjecta.*

PLurimum confert dignitati, & eminentiæ Principis, ut habeat plenipotentiarium, & absolutum regimen, & dominium in suis Regnis, & quod non subordinatus sit ulli alii cujunque potestati *Temporali*; Tale Dominium habet Rex Hispaniarum in omnibus suis Territoriis tam in veteri quam in novo mundo, quod Illi confirmatur ab ipsis legibus; quamvis, sicut est Ecclesiæ filius omnium obsequentissimus, ex puro motu, & sanctis devotionis Idæis contentus sit præstare obedientiam Matri suæ Ecclesiæ Romanæ in *Spiritualibus*.

Non pauci tamen Authores sunt tam Italici, quam Germani, qui nimis addicti *Cæsari*, in opinione positi sunt Reges tam Hispaniæ, quàm Angliæ & Galliæ aliosque debere subordinationem quandam Imperatori, & qui hanc non præstant, mortale peccatum committunt; Et inter alia Argumenta quæ urgent ad hoc comprobandum præcipuum est, quod Imperator *Sigismundus* ante quam Concilium universale *Constantiæ* Urbe habitum convenit, citationes suas misit ad Ferdinan-

Argumentum Septimum

Quo probatur, quod Rex Catholicus antecedere debeat, eo quod sit Rex Hierosolymæ, & quod Jus Unctionis ad Illum *pertineat.*

Corsetus, Grasalius, aliique Authores non incelebres affirmant quod in omni solemni pompa, & publicis congressibus, prima sedes in Ecclesia post Imperatorem concedi debeat Regi *Hierosolymæ*; Ad probandum hoc plurima adducuntur argumenta. 1. Quia salvator noster prædicavit, & passus est in Illa Civitate. 2. Quia prima Electio Apostolorum, & Discipulorum ibi facta est: 3. Eò quod in eadem Civitate maxima ediderit miracula. 4. Quòd sanctissimum sacramentum instituerit in Illa. 5. Quod ibi æternam humani generis salvationem consummaverit. 6. Quod ibi sepultus fuerit; cum pluribus aliis rationibus.

Jam vero quod Rex *Hispaniarum* de Jure sit Rex *Hierosolymæ*, nemo inficias ibit; Nam summus *Pontifex* in suis *Bullis*, & litteris Apostolicis, aliisque transactionibus Ecclesiasticis inter alios Titulos vocat Illum *Regem Hierosolymæ*; Conclave etiam, cum Collegio Cardinalium, & *In Rota*, vel superius Concilium Romæ, nec non Judicia Apostolicæ Cancellariæ quandocunque res postulat eundem titulum Regi Catholico attribuunt. Et sole in meridie posito clarius est hunc

Titu-

Titulum illi debitum esse, eò quòd sit Rex Utriusque Siciliæ, *viz.* Calabriæ, Neapolis, & ipsius Insulæ Siciliæ, quod luculentè constat in omnibus Chronicis, & authenticis Annalibus; Quamvis Rex *Galliæ* in dubium vocet hoc jus quibusdam levibus argumentis quas *Valdesius* & *Vasquez* nervosè confutant.

Neque negari possit *duplicem* Unctionem Illi debitam esse virtute Regnorum *Hierosolymæ*, & *Siciliæ*; Quum Reges *Angliæ* & *Galliæ* non nisi unam simplicem Unctionem habeant. Jam verò Quod Reges oleo sancto ungi debeant, Sacer Codex nos admonet; Nam in mandatis datum fuit a Deo omnipotente Cœlorum & Terræ Rege Prophetæ *Eliæ* suis verbis, *Unges Asachel Regem super Syriam, & Jehu filium Namasi unges Regem super Israel.* Alio loco Deus ipse loquitur, *Inveni David servum meum, & oleo sancto meo unxi eum*; Quapropter Reges Terreni vocantur *Christi*, *Uncti* scilicet a Deo ipso; Imo Rex *Cyrus* vocatur Christus in hoc sensu, sicut Textus sacer nos instruit, *Hæc dicit Dominus Cyro Christo ejus*: Inter alias Imperatoris prærogativas una est quod ungi debeat ab *ipso* summo Pontifice, quum Reges soleant ungi a suis præsulibus; & *Augustinus* de Ancona adducit rationem cur hæc ceremonia præscribatur, quia scilicet, Oleum significat lætitiam, promptitudinem debellandi Infideles, seu hostes Christianæ professionis & dimicandi pro orthodoxa Fide, & Victorias reportandi; Itaque in ludis Olympicis Luctatores solebant lacertos & humeros oleo inunctos habere, ut Poeta docet,

Exer-

Exercent Patrias Oleo labente Palestras
Nudati socii---

Sanctus Rex & Psalmista ait Dilexisti Justitiam, & odisti Iniquitatem, propterea unxit te Deus Oleo lætitiæ præ consortibus tuis: Oleo etiam denotatur mundities conscientiæ & sapientia, sicut legimus in sacro Codice prudentes Virgines acceperunt Oleum in Vasibus suis.

Jam vero toto Cœlo aberrant, secundum opinionem Jacobi de Valdez, qui autumant, Reges istorum duorum Regnorum, *viz.* Hierosolymæ & Siciliæ cum Illis Galliæ & Angliæ solùm capaces esse Unctionis; nam ad omnes pertinet, sed in speciali modo Regi Catholico, qui mistam personã gerit inter Temporalem & spiritualem, nam inter ejus Titulos unus est quod sit *Canonigo de Burgos*, sicut Rex Galliæ vocatur etiam *Chanoine de Poiction*; His adjiciatur, Reges Hispaniæ multis sæculis elapsis *ungi* fuisse solitos, a tempore scilicet Regis *Vuamba*, & post Illum *Ervigius*; Nam textus Concilii Toletani clarè demonstrat, Serenissimus Ervigius princeps Regni conscenderit Regnorum culmen, Regnandique per sacram Unionem susceperit potestatem; post hos, omnes Gothici Reges a *Pelagio* solebant ungi Oleo Sancto.

Argu-

Argumentum Octavum

Quo asseritur, Quod Rex Hispaniarum debeat antecedere ob liberam, & absolutam potestatem quam exercet in suis Dominiis; Et quod Imperia *habeat sibi subjecta.*

PLurimum confert dignitati, & eminentiæ Principis, ut habeat plenipotentiarium, & absolutum regimen, & dominium in suis Regnis, & quod non subordinatus sit ulli alii cujunque potestati *Temporali*; Tale Dominium habet Rex Hispaniarum in omnibus suis Territoriis tam in veteri quam in novo mundo, quod Illi confirmatur ab ipsis legibus; quamvis, sicut est Ecclesiæ filius omnium obsequentissimus, ex puro motu, & sanctis devotionis Idæis contentus sit præstare obedientiam Matri suæ Ecclesiæ Romanæ in *Spiritualibus*.

Non pauci tamen Authores sunt tam Italici, quam Germani, qui nimis addicti *Cæsari*, in opinione positi sunt Reges tam Hispaniæ, quàm Angliæ & Galliæ aliosque debere subordinationem quandam Imperatori, & qui hanc non præstant, mortale peccatum committunt; Et inter alia Argumenta quæ urgent ad hoc comprobandum præcipuum est, quod Imperator *Sigismundus* ante quam Concilium universale *Constantiæ* Urbe habitum convenit, citationes suas misit ad Ferdinan-

dinandum Regem Aragoniæ ut interesset isti Concilio pro publico bono Christiani Orbis; sed huic respondetur, Quod gloriosus Imperator *Carolus Quintus* solennem protestationem Diplomatis instar emisit, & promulgavit se nihil in Hispania decrevisse sub notione Imperatoris; Nam etiamsi duplicem gestabat qualitatem tam Imperatoris quàm Regis, attamen quodcunque agebat, & transigebat in *Hispania*, sola erat virtute *Regiæ* potestatis quam in ea exercebat; Istud Diploma, seu publica protestatio adhuc extat in Archivis *Hispaniæ*, cujus mentio fit in Annalibus *Petri Mexiæ*, quod ita se habet in lingua Castellana.

Don Carlos por la gracia de Dios Rey de Romanos, futuro Emperador semper Augusto, Rey de Castilla y de Leon, &c. *En uno con la muy alta, y muy Poderosa Reyna Donna Juana mi Sennora Madre.*

Por quanto despues que plugo a la Divina Clementia (por la qual los Reyes reynan) que fuessemos Eligidos Rey de Romanos futuro Emperador, y que de Rey Catholicó de Espanna (con que eramos bien contentos) fuessemos promovido al Imperio convino que nuestros Titulos se ordenassen dando a cada uno su devido lugar; Fue necessario conformando nos con razon segun la qual el Imperio procede a las otras dignidades seglares por ser la mas alta y sublime dignidad que Dios instituyò en la Tierra, de preferir la dignidad Imperial a la Real, y de nombrarnos y intitularnos primero como Rey de Romanos y futuro Emperador que la dicha Reyna mi sennora lo qual hizimos mas apremiado de necessidad que de razon,

que

que por voluntad que dello tenemos, porque con toda reverencia, y acatamiento la honramos, y desseamos honrar y acatar, Pues que demas cumplir el mandamiento de Dios a que somos obligados por Ella tenemos, y esperamos tener tan gran successiom de Reynos y senorios como tenemos. Y porque de la dicha prelacion no se pueda Segnir ni causar perjuizio ni confusion adelante a nuestros Reynos de Espanna, in a los Reyes nuestros Successores, ni a los naturales sus subditos que por tiempo fueren.

Por ende queremos que sepan todos los que agora son, o seran de aqui adelante, que nuestra intencion, y voluntad es, que la libertad, y exempcion que los dichos de Reynos Espanna, y Reyes dellos han temido, y tienen, de que han gozado, y gozan de no reconocer Superior *les sea agora, y de aqui adelante observada, y guardada inviolablemente, y que gozen de aquel estado, de libertad, y ingenuidad que el tiempo de nuestra promocion, y antes, meior, y mas cumplidamente tuvieron y gozaron, y devieron gozar, y tener libre, y pacificamente, y que por preferir, y ante poner los Titulos de nuestras Dignidades, y del Imperio, no seamos, in somos visto perjudicar a los dichos Reynos de Espanna en su libertad y exempcion que tienen, por aquello ni otros qualesquier Autos que aora in aqui adelante se hagan de lo que antes se hazia, solia, y devia hazer, aunque sean consentidos tacito, o expressamente, nolo dezimos ni ponemos en sennal de Mayor subjecion, ni submission, si no por guardar el honor, y orden a cada uno devido; Segun lo qual se deve preferir el Imperio en qualquier persona que esté a todas las otras Dignidades seglares aunque no le sean sujetas, quedan*

dan toda via en ſu fuerza y vigor la libertad y exempcion a los dichos Reynos de Eſpanna devida; Y porque eſto ſepan Todos, y de nueſtra voluntad; Y de los dichos Autos de aqui a delante pueda aver duda (como haſta aqui nunca jamas la ha avido, ni la ay) Mandamos dar eſta nueſtra Carta firmada de nueſtro nombre, y ſellada de nueſtro ſello, la qual queremos que valga, y tenga fuerza, y vigor de Pragmatica Sanction, y declaracion general, ò como mas convenga a los Reynos de Eſpanna.

Dada en la Cuidad de Barcelona a cinco dias del mes de Septiembre anno de Nacimiento de nueſtro Salvador Jeſu Chriſto mil y quinientos y diez y nueve annos.

Yo el Rey

Franciſco de los Gobos Secretario de ſu Ceſarea, y Catholica Magd la fize eſcrevir por ſu mandado.

Teſt. Mercurius de Gratinatā.
Petrus Epiſcopus Palen.
Licentiatus don Garcia.
Licentiatus Zapata.
Doctor Carvajal.

Regiſtrada.
Antonio de Villegas.

Iſtud Regium Diploma vel Pragmatica Sanctio, ut liquidò conſtat, abſolutam & independentem autho-

authoritatem Regum Hispaniarum confirmat; Et quod non solùm renunciant subordinationem quamcunque, sed penitus exempti sunt ab agnitione ullius exteræ potestatis; Itaque legibus, & constitutis Hispaniæ cautum, & stabilitum est, quod ad evitandum minimam suspicionem obedientiæ Imperatori, Romanæ leges Civiles neque observentur, nec allegentur ut leges astringentes; Neque verò ad debellandos & expellendos Saracenos, aliosque Infideles, ut Valdesius asserit, Hispania gratiis devincta erat Imperio, vel ulli alii exteræ potentiæ, sed ingens illud opus exantlavit effusione sui proprii sanguinis, & virtute ac fortitudine suorum nativorum Incolarum.

Præterea, Reges Hispaniæ tam exempti & liberrimi erant a subordinatione Imperatori, vel alii externæ potestati, ut Illi ipsi frequenter vocati fuerint Imperatores in publicis Instrumentis, in Decretis, Actis Conciliorum Universalium, & Epistolis Apostolicis a summo Pontifice missis: Jam vero si digni erant appellari Imperatores, quantò magis Ille Titulus quadrare, & convenire possit Regi Hispaniarum nunc dierum, quum factus sit Dominus medii totius terrestris globi?

Præterea Rex Hispaniarum non solùm exemptus est ab omni extranea authoritate, sed intrinseca seu domestica potestate absolutissimus est; Nam nullum adduci possit exemplum quod Hispana Gens solvere noluit vectigalia, aut novos census & publicas nummi Erogationes (Re postulante) quæ diversæ & crebræ fuerunt, eo quod cum toto quasi orbe belligerarit & potentioribus Illius Monarchis qui amplitudini ejus Dominiorum invident; Tamen

men, non obstantibus tam magnis & novis Impositionibus, semper Rex *Hominum* decantatur, non *Asinorum*, ut Rex Illi maximè propinquus appellari solet.

Argumentum Nonum.

Quo comprobatur Regem Catholicum *anteferendum esse, eò quod obsequentissimus omnium Ecclesiæ Filius sit, & quòd maxima sedi Apostolicæ beneficia contulerit.*

TRia sunt officia quæ Christiani Reges præstare obligantur Sanctæ Ecclesiæ.

Primum, Canonibus, præceptis, & Injunctionibus a Sancta Ecclesia institutis exactè obedire quamvis implicita fide sit.

Secundum, Jura & Sanctiones Catholicæ Ecclesiæ protegere non solùm contra Infideles & professos apertosque inimicos, sed contra Hæreticos, & Schismaticos.

Tertium, erigere Templa quibus cultus Divinus decenter exerceri possit, eaque adornare, & locupletare reditibus & proventibus necessariis.

Reges Catholici ob hæc tria Officia maximè celebres sunt; Quod ad primum attinet, non invenitur alius Rex aut supremus princeps quicunq; Ille sit, qui tam exactam præstat obedientiam Canonicis legibus, & Constitutionibus, Sanctisque Eccle-

Ecclesiæ decretis quam Rex Hispaniarum; non est alius Rex qui pœnas a Confessore suo impositas lubentiùs subit; Nam pœnitentiale illud flagellum quo Imperator *Carolus* Quintus corpus lacerabat, & sanguine suo tinctum reliquit *Philippo* secundo, & Ille Philippo tertio, & Philippus tertius legavit præsenti Regi suo Filio, sæpe ab eo exercetur usque ad effussionem sanguinis, quo miscere solet *suum* cum cruore Abavoli, Avi, & Patris; Quod flagellum solet esse præcipuum legatum seu donum testimentarium quod Reges Catholici solent deferre suis primogenitis in hora mortis, & duraturum est ad posteros.

Quod ad secundum attinet officium protegendi Catholicam Ecclesiam tam contra communes Hostes, quàm contra Apostatas & Schismaticos, bene asseri possit absque præjudicio ulli alii principi, non esse Regem Regi *Hispaniarũ* comparandum; Nam Hispania sese liberavit mira fortitudine & prudentia a Tribus nationibus differentibus qui Inimicissimi erant Christianæ Fidei, *Saracenis* scilicet, Mauris, & Judæis, & tantam venerationem, & affectum prætulerunt Reges Catholici Sanctæ Ecclesiæ, quod quandocunque obtinuerant aliquam Insignem victoriam, semper trophæa ejus Vicario Christi offerebant; Adducam unum celebre exemplum; Quando Albohazin Belamarin Hispaniam invaserat ingenti Classe transportando 20000 equite, & 400000 pedestres milites, Rege *Granatensi* qui tunc Maurus erat Illi stricto fœdere conjunctos, cum innumera gente Morisca quæ adhuc remanserat in Hispania primùm *Tarifa* obsessa fuit, sed Alphonsus undecimus Rex Castellæ,

cum Alphonso Rege Lusitaniæ gesserunt se cum tanta magnanimitate, & fiducia, non habentes copias Auxiliatrices ab ullo alio principe Christiano, toto exercitu a solis Hispanis composito, quòd reportarunt completam Victoriam non minùs miraculosam quam gloriosam, nam ducenti mille Mauri in prælio & fuga perierunt, Reliquique omnes captivi facti, sicut *Mariana* & *Zurita* (Authentici scriptores) memoriæ tradunt: Jam verò triumphis in Hispania finitis Rex Alphonsus splendididissima Legatione misit Don Juan de *Levia Benito* undecimo Pontifici Maximo Sedem Apostolicam tum in *Avenione* tenenti; qui Legatus obtulit primò ingens vexillum suæ Sanctitati, cum viginti quatuor Insignibus principalibus a Mauro arreptis; Centum insuper Mauritani Asturcones cum sumptuosis Ephippiis acupictis, quibus cassides, gladii, & hastæ pendudæ erant, & quilibet equus habuit Maurum Captivum pro suo agasone: Postea Ipse equus cataphrastus quo Alphonsum in Acie vehebat oblatus fuit cum Ephippio gemmis segmentato. Cùm summus Pontifex certior factus esset hujus pomposæ legationis, omnes Cardinales misit, cum multitudine præsulum in occursum Legati, qui ad Papam conductus, sua Sanctitas descendebat a solio Pontificali, & vexillum regis manu amplectens alta voce cantabat, *Vexilla Regis prodeunt, fulget Christi mysterium*; Ita post patheticam & ornatissimam Orationem habitam de Victoria tam admiranda, omnes ad Templum iverunt ut gloria & gratiæ Deo exercituum persolverentur; Et Vexilla cum Insignibus, gladiis, hastisque in Nave Ecclesiæ

alte

alte appensis summo Numini muris ipsis sacris anthematibus & hymnis personantibus, consecrata fuerunt.

Adduci possent plurimæ Instantiæ notabilissimæ hujus naturæ, de singulari honore in quo Catholici Reges Sanctam Ecclesiam semper habuere (ejusque Rectores) in summo gradu, & quam prompti fuerunt facultates & sanguinem sacrificare pro defensione ejus; Neminem latet *Catholicum* Regem perpetua bella gerere cum communi Inimico Christianæ Fidei, *Turco* scilicet, &, quamvis sæpe petitum dedignari pacem inire, Quum Alii Reges non solùm pacem, sed fœdera cum eo frequenter icere soleant. Neminem latet etiam quanto odio & inimicitia Rex Catholicus prosequitur omnes *Hæreticos*, non permittendo ut degant in suis Dominiis, sed illico legibus Terræ supprimuntur ferro, & sanguine. Quanto zelo & fervore Vicarium Christi, & Cathedram Sancti Petri supportare semper conatur, quæ ruitura erat machinationibus nuperorum Apostatarum nisi Reges Catholici tanquam telamones porrexissent brachia ad eam sustinendam.

Quantum attinet tertium officium, erigendi scilicet Templa, atque Ædes sacras ad divinos ritus cultusque celebrandos, Nemo omnium tam intensè pius est, & munificens quam Rex *Catholicus*; Ad hoc comprobandum inter mille alias Instantias quæ adduci possent, sufficiat Monasterium Sancti Laurentii vel *Escuriale*, Monumentum æternitati erectum, Fabrica in quam ferrei dentes Temporis, & invidiosa vetustas vim non habitura est, tanta est soliditas, & spissitudo murorum

rorum; Hoc unicum ſtupendum Pietatis monumentum, quod merito vocatur octavum mundi miraculum, ſat materiæ ſuppeditaret implendi integrum volumen; Ædificium quod plus quàm viginti centum decem millia coronatarum conſtitit; Viginti anni effluxerant ante quam incæpta moles perfici poſſet. Tamen glorioſus Fundator *Philippus Secundus* in ea Baſilicam ſuam habuit duodecem annis, & tandem oſſa ſua inhumari mandavit in glorioſo illo Pantheone quod ob eum finem extruebatur; præter hoc, quanta Templa, & alias ædes divini cultus fundavit Ille devotiſſimus Rex! Nam in Europa & America Annales referunt eum erexiſſe centum & quinquaginta Eccleſias, Monaſteria, conventus, & hoſpitalia; Jam vero, quum alii Imperatores, Reges & principes ſat memoriæ ſibi adeptos fuiſſe pollicentur ſi quoddam Collegium, Sacellum, aut Xenodochium fundaverint; quantum nominis, quam immenſam gloriam meruiſſe judicabimus *Philippum prudentem* non ſolum Hiſpaniarum ſed novi Mundi Monarcham?

Argu-

Argumentum Decimum, & ultimum,

Quo comprobatur Regem Catholicum *Jure deberet antecedere, eò quod Ecclesia Christiana receperit majus tutamen & emolumenta ab* Illo *quàm ab ullo alio principe quocunque.*

MEmoriæ proditum est, Quod quando *Gregorius* decimus tertius Romanus Pontifex morbo laborabat, dictum Illi fuit, quod extraordinariæ preces effundebantur ubique pro sua salute, eo quod ejus vita multùm contulit Incolumitati Ecclesiæ. Respondebat singultiens, eheu, *Prolongatio mea vitæ parum confert; sed oremus pro salute Regis Philippi, nam Illius vita multò magis prodest Christianæ Reipublicæ.*

Jam verò, Hispania singularem sibi consequuta est honorem non solùm ob protectionem Ecclesiæ Catholicæ, & profligationem Infidelium, sed etiam ob conversionem Hæreticorum; Liquidò constat in Historia, ut antedictum est, *Osium* Episcopum *Cordubensem* præcipuè navasse operam in conversione *Constantini* Magni post gloriosam suam Matrem *Helenam* quæ *Britanna* erat, a cujus uberibus primò suxerat lac Christianum, sed illud lac non concoctum fuit in sanguinem usque dum *Osium* cognoverat.

Quantos

Quantos favores, & indulgentias receperunt misselli Christiani quando sub jugo persecutionis gemebant ab Imperatoribus *Trajano*, Elio *Hadriano*, *Antonino Pio*, & *Theodosio* omnibus Hispanis natione dum decem persecutiones sæviebant? Quàm strenuè luctata est Hispania cum *Ariana* Hæresi usque dum eam funditus everterat! *Albigenses* & *Valdenses* in Gallia perniciocissimi Hæretici qui tam nefaria, vel potiùs nefanda principia Fidei habuerunt, *viz. Quod licitum erat diruere Templa, destruere cruces & Crucifixa, Uxores in communi habere; Quod* Anima *Humana a Deo creata fuit, sed* Corpus *a Diabolo*, cum similibus execrandis erroribus. Dico quod Hi Hæretici maxima ex parte convicti & conversi fuerunt a Sancto *Dominico*, & *Didaco* Episcopo Oximensi Hispanis utrisque, qui missi fuerant ab Innocentio Tertio de industria ad hoc pensum persolvendum *Ludovico* septimo inter Gallos regnante; In quo negotio Domina *Blanca* tum Hispaniæ Regina insignem etiam navabat operam cum felici successu. Quanto conamine Imperator Carolus Quintus nitebatur *Lutherum* contundere, & ferro recidere illud immedicabile vulnus, cocatricemque in ovo atterere; Hæc causa fuit quod Illud celebre Distichon compositum fuerit de dicto Carolo, & *Henrico* octavo Rege Angliæ qui etiam librum quendàm contra Hæresin Lutheri promulgaverat,

Carolus, Henricus Christi Defensor uterque,
Henricus Fidei, Carolus Ecclesiæ.

Piæ-

Præterea tam devota Christiana Hispania est, & tam sollicita, ut satis sibi non factum esse putet ab Hæresi liberam esse quoad opinionem, sed etiam quoad *suspicionem*; Hoc fundamentum erat Illius ahenei muri qui erectus fuit contra Hæreticos, sancta scilicet *Inquisitio*; Quo salutari officio Vindemia Domini liberatur, & averruncatur a zizaniis, & loliis aliisque pestiferis herbis; Hoc muro præservatur, & circumsepta est ab animalibus noxiis, & rapacibus quæ tantas confusiones, & detrimenta secum afferunt in alia Regna, nec non Incendia & combustiones a *Fatuis* Ignibus, qui in cerebro concipiuntur, erumpentes, a quibus Hispania sarta tecta conservari solet prudentissima Rerum administratione, & præcipuè a Sancto Officio *Inquisitionis*.

His adjungi possit nullos alios Reges tam eminenter liberales, & munificos fuisse Domo Dei, ejusque Rectoribus, & Ministris quàm Reges Catholici ab omni sæculo; nam secundum calculum nonnullorum, Ecclesiastici reditus Hispaniæ continent tertiam partem Regni, & quasi singula monasteria, & Ædes sacræ a Regibus fundatæ fuerunt; Archiepiscopatus *Toleti* est maxima Dignitas *Spiritualis* post *Papatum* in universo Christianismo; nam plus minus trecentos mille coronatos auri communibus annis habet, quod æquivalet tribus ex pinguissimis Galliæ Episcopatibus, Ideoque Reges Catholici non dedignantur Fratres & Filios suos promovere ad Illam sublimem Dignitatem, cum Cancellaria Castellæ adjuncta.

Præ-

Præterea, nupera computatio facta est quod Decima pars ingentissimi illius thesauri qui defossus fuit in Mineriis *Mexicanis*, ac *Peruvianis*, & transvectus in Hispaniam ab Indiis Occidentalibus post primum in iis appulsum, dico quod decima pars illius thesauri in Ecclesiis invenitur; nam quævis quasi ruralis Ecclesia magna habent argenti candelabra, cum crucibus ac Crucifixis aliisq; sacris Domus Dei utensilibus, quorum nonnullæ ex obryzo auro gemmis inducto conficiuntur. Neque inutiliter expenditur thesaurus ille qui Ecclesiæ defertur; nam Ecclesiastici Hispani promptissimi semper sunt Regi & bono publico contribuere in arduis & urgentibus negotiis quandocunque Res & necessitas postulaverit: Ideoque tritum dictum est in Hispania, *Los Tesoros de la yglesia son como ancoras contra una tormenta*, Thesauri Ecclesiæ sunt ancorarum instar contra procellas.

Adjiciatur his, ne unum quidem Regum Hispaniarum sensisse fulminationes Vaticani, sententias scilicet excommunicationis, sicut alii Reges; sed exactè obsecuti sunt tam Doctrinæ, quàm Decretis Sanctæ Ecclesiæ, subjiciendo ipsa sua Intellectualia, cum facultatibus animæ, & totum *internum* Hominem determinationibus Vicarii Christi, quum omnes circumvicini Reges, Ipso Imperatore non excepto, frequentes habuerint contentiones cum Sancto Patre. Quam atroces habuit altercationes Philippus Pulcher Galliarum Rex cum Papa Bonifacio octavo! Nam Edictum *Interdictionis* promulgari jussit quòd Ecclesiastici qui erant sub ejus clientela & dominio nullum omnino cum Roma haberent commercium; Censuris

ris Pontificiis noluit obedire, sed dilacerabat litteras Apostolicas, detinebat Legatos, & convocabat provinciale Concilium Parisiis habendum, In quo accusationes tam corruptionis quam Schismatis obtrusæ fuerunt contra *Pontificem*, sed Reges Castellæ,& Aragoniæ in his angustiis & tumultibus firmiter adhærebant suæ Sanctitati, eo quod caput, & communis Pater Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ fuerit.

Ludovicus undecimus Rex Franciæ instituebat Pragmaticam Sanctionem contra immunitates Ecclesiæ Gallicanæ coercendo Papam assentiri, quò ut Mausonius observat, omnes *Canonicæ* leges, & disciplinæ in Gallia ceciderunt.

Carolus Octavus Galliarum Rex intravit Romam Papa perhibente, & bellum contra eum movit ut contra Inimicum publicum, sed Catholicus Rex Ferdinandus quintus strenuè adhæsit Pontifici.

Quod ad *Ludovicum* duodecimum Francorum Regem attinet, quàm acer hostis sedi Apostolicæ extiterit, Annales clamitant; Quantos tumultus concitabat contra *Julium* secundum, quæ fatalis Origo fuit omnium hæresium quæ inde pullularunt in Ecclesia, & huc usque ipsa Illius Viscera tam miserè delacerarunt! Philippus secundus Rex Francorum repudiando legitimam Uxorem, alteram duxit non tantùm absque assensu Papæ Celestini, sed contra sententiam Ecclesiasticorum suorum, quos tanto cum rigore & tyrannide potiùs tractabat.

Philippus primus Franciæ non minùs opposuit Sanctis Ecclesiæ constitutionibus repudiando etiam

etiam legitimam Uxorem, & arripiendo aliam.

Ludovicus septimus Franciæ tantas cum Papa Innocentio secundo concertationes habuit, quod sub mortali sententia excommunicationis remanserit tres annos continuos.

Carolus pulcher, vulgò *le Bel*, tanta contumacia opposuit Papæ Johanni, quod publicè interdixerit ne decimæ, aliaque jura Ecclesiastica Illi solverentur.

Franciscus primus & Henricus secundus Reges Galliæ, æternæ eorum infamiæ, introducebant ipsum Turcam communem Christianæ Reipublicæ hostem ad suum succursum contra Imperatorem.

Omnia prædicta exempla a Jacobo Valdesio adducuntur, & transmittuntur posteritati ab Aliis, receptis, & Authenticis scriptoribus.

Sed videor audire Gallos alta voce clamitantes, quod Imperator Carolus Quintus acre bellum concitabat contra Pontificem Clementem septimum, quòd Romam Ipsam obsidebat, & detinebat *Sanctum Patrem* Captivi instar; pro confesso hoc datur, sed querela, & causæ meritum erat purè temporale; Tamen non pænituit illum quod Dux Bourboniæ occisus fuerit scalis muros Romæ conscendens, quia mandata ejus & Commissionem violaverat; præterea quando relatio successus Imperialis exercitus Hispanicæ Curiæ allata fuit, loco lætitiæ, & triumphi, tacitus quidam susurrus, non sine mœstitia mixtus percurrebat totum Palatium; sed Carolus volvendo, & revolvendo in mente hoc factum tali affectus fuit dolore, ut

ut illum non posset excutere usque ad extremum diem; Sed instar compensationis summo Pontifici, nepotem Illius stabilivit in statu Florenciæ.

Appendix.

SIC collectæ, & summa tam integritate quam diligentia exhibitæ sunt Rationes, & Argumenta Trium Christiani Orbis potentissimorum Monarcharum in ordine ad præcedentiam Sessionis, seu superioritatem; Quod ad Rationes secundæ & Tertiæ Sectionis spectat, excerptæ & deromptæ sunt ex eminentioribus Illarum Regionum Authoribus qui de isto themate scripserunt, & hoc factum est tanta fide, & solertia quantum Majestas tam sublimis materiæ requirere possit, non prætermittendo, quod sciam, ullum argumentum quod aliquid momenti præ se ferebat.

Quantum ad competitiones inter alios supremos principes attinet, sicut inter Reges *Daniæ* & *Sueciæ*, quorum alteruter sese intitulat Regem *Gothorum* & *Vandalorum*; Nec non inter Reges *Lusitaniæ*, & *Poloniæ*; Inter Respublicas *Venetam*, & *Genoensem*

quæ ambæ affirmant se esse *Teste Coronate* Capita Coronata, eò quod Illa Regni *Cypri*, hæc Regni *Corsicæ* Domina sit: Nec minus antiquam altercationem inter Duces *Subaudiæ*, & *Mediolani* (qui titulus demersus nunc est in Titulis Regis *Hispaniarum*) Dico has contentiones cum aliis inter principes *Germaniæ* quæ diversæ sunt, non pertinere ad hanc Dissertationem.

Et sicut Reges, Respublicas, & Principes, ita etiam inter Civitates occurrunt differentiæ, & competitiones in ordine ad *prioritatem* tam *loquelæ* quàm *loci*; Ut inter *Mediolanum*, & *Ravennam* in *Italia*; Inter *Argentoratum* (vulgò *Strasburg*) & *Norimbergam* in Germania; Inter *Toletum*, & *Burgum* in Hispania; Quam contentionem *Philippus* secundus ingeniosissimè composuit; Nam cùm in Comitiis publicis quæ vocant *las Cortes* in Hispania, lis orta fuit inter Delegatos harum Civitatum quisnam eorum loqueretur *primus*, disputatione incalescente, Rex Ipse surgebat dicens, *Hable Burgos que por Tolèdo hablarè yo*, loquatur Burgum, nàm pro Toleto ego loquar; Talis etiam competitio occurrit in *Anglia* inter Academias *Oxonii*, & *Cantabrigiæ*, quæ sæpiùs discussa fuit in Comitiis Regni, seu *Parlamento*, etiamsi Oxonium primas

ſemper obtinuerit, ideo quod prænominetur in omnibus Actis Parlamenti; Neq; enim reverà rationi conſonū eſt quòd *Cantabrigia* contendat in hoc ſi *Antiquitas* ſit ullius momenti; jam vero Logici aiunt, quod Argumentum ab Antiquitate ductum valet; Et *Lucianus* refert, quod cùm Cœlo lis orta fuit inter *Æſculapium* & *Herculem* pro antecedentia, Æſculapius prævaluit, eò quod longiore tempore in Cœlo extiterat; Quapropter non eſt quòd Cantabrigia offendatur Poeta qui cecinit

Hyſteron eſt Proteron Præpoſtera forma loquendi,
Exempli causâ, Cant'brigia Oxonium.

Verùm hoc nobiliſſimum Academiarum par, quum in ſuo genere æquiparari nequeant ab Aliis, pares ſint inter ſe, ſemperque vigeant, & eſſloreſcant.



Quarta & ultima Sectio de Legatis disserit.

NON incelebris est illa Logicorum Regula, *Qui bene dividit, bene docet.* Hanc itaque Quartam Sectionem, tribus superioribus conformem dabimus, quippe quæ, ut reliquæ, *Decadem* etiam constituerit. Et ut hæ omnes sunt consimili Argumento, sic etiam consimilem Methodum sortientur; Siquidem Hæc etiam Decem Paragraphis (sive capitibus) absolvitur.

1. *Horum* Primus *aget de* Etymo *sive* Derivatione *hujusce vocis* [Ambasciator] & *etiam* Definitionem & Denominationem Legati *exhibebit.*

Secundus *absolutam, & (si ita dicam) indispensabilem* Legatorum *necessitatem tradet*; & *probabit insuper Humanum Genus iis carere non posse.*

Tertius, *Primordium, sive primam illorum*

Originem, & quasi prosapiam altiùs arcesset; illorumque Dignitatem & præcellentiam ostendet, & in quam alto Honoris gradu collocentur, & quinam idonei sint, qui illorum operâ peregrè utantur.

Quartus, *singularia quædam Privilegia, Honorificam Receptionem, & incolumitatem sive immunitatem ab injuriis, illis asseret; & confirmabit etiam eorum adeo Personas sacras esse habendas.*

Quintus *docebit, qualiter* Legati *instituendi sive educandi sint; Dotesque, & Facultates eorum memorabit, tum acquisitas, tum etiam illas à natura insitas, quæ ad complementum* Legati *requiruntur.*

Sextus, *loquetur de Delectu* Legati, *nempe, ut sit par negotio; & Muneri, quod suscepit, accommodus.*

Septimus, *declarabit, quanta cum Fidelitate & Circumspectione,* Legatus *Partes suas exsequi debeat, & quanta, in hunc finem, Fiducia in illo reponatur.*

Octavus *Leges Angliæ recensebit, quæ ad* Legatos *spectant; & quibus in* Aula Anglicana *excipiantur & tractentur modis, & quibus præmiis ibidem afficiantur.*

Nonus *in memoriam rediget, quam prudenter nonnulli* Legati *se gesserint, quasque argutas*

gutas sententias, & apophthegmata in Colloquiis, & aliàs, prodiderint, quo tempore negotiati sunt.

Decimus *enarrat, quantâ cum Prudentiâ & fide, Magnanimitate, & Munificentiâ, Anglorum complusculi Legationes suas obierint.*

MUlti sunt Authores, qui consultò id sibi negotii dederunt, ut de Legatis scriberent; nec-non de Illorum munere, & negotiatione illis incumbente, & de Facultatibus etiam, Institutione & Dotibus, quæ in illis requiruntur. Porrò, susceperunt insuper Regulas & Præcepta illis tradere, cautionesque præscribere; Illa verò Præcepta, universis ad Reipublicæ clavum sedentibus, & Magistratibus quibuscunque possunt, accommodari; Et hoc pacto, per hæc universalia, Lectorem dubium & ancipitem reddunt. Hanc autem Dissertationem meam Personæ *Legati* solùm adstringendam censui, ejusque Functioni & Officio; Atque adeo primum Paragraphum jam nunc aggrediemur.

Paragraphus Primus

Tradit Derivationem sive Etymologiam hujusce vocis [Ambasciator] *nec-non Definitionem, Divisionem, & Denominationem Legatorum.*

NEque *Don Antonio de Zuniga* Hispanus, neque *Doctor Gasparo Bragacci* Italus, nec plures alii qui de *Legato* tam copiosè scripserunt, prodidere quicquam de hac voce [*Ambassadeur*] *Ambasciatore*, *Ambaxador*, vel de *Ambascia*. Quas omnes voces compertum est esse admodum vetustas: ducuntur enim a prisca voce *Celtica*, sive *Gallica*. *Celtæ* autem fuerunt aliquot seculis ante *Græcos*, aut *Latinos*, & illam *Galliæ* partem occupavere, in qua *Lutetia* Parisiorum hodie sita visitur; qui sic appellati sunt, antequam *Romani*, vel *Francones* eò penetrâssent. Illa verò vox [*Ambassy*] vel etiam *Ambascy*, fluit a voce [*Ambachten*] quæ significat [*Operari*] & in antiqua illa *Gallorum* sive *Celtarum* lingua [*Ambacht*] [*Servum*] olim indigitavit: a qua voce non abludit illa vox [*Bachken*] quæ hodie in *Cambria* [Servum] denotat. Et hinc (ut aliis etiam argumentis) haud difficulter evincitur, *Gallos* & *Britannos* in Anglia fuisse ὁμογλώσσους, *i. e.* antiquitus, & a prima sua origine prorsus eâdem Linguâ fuisse locutos. Hinc etiam [*Ambactus*] vox utique apud *Tacitum* occurrens, deducitur, qui in hæc Verba loqui-

loquitur; *Galli plurimos circum se Ambactos clientesque habent.* Adeo ut, *Ambasciator* hinc deductus, eò devenit, ut Regni servus sit, seu minister honorabilis. In aliquibus enim S. Scripturæ Versionibus, *Paulus* Dei gratiâ *Diaconus* & *Ambasciator* nuncupatur; ut id nominis, divino sacerdotum ministerio haud immeritò accommodetur. Minister enim Pluteo se acclinans, dici possit *Legatus* Populi ad Deum; & in suggesto sive Pulpito consistens, *Legatus* Dei ad Populum. Itali verò contendunt [*Ambasciatore*] posse non malè deduci ab antiquo illo *Hetrusco* vocabulo [*Bascar*] quod idem est cum *Hebræo*, idemque sonat quod *nuncio*, *memoro*, declaro. Nonnulli verò somniant hanc vocem originem suam trahere ab illa vocula [*Ambo*] ideo nempe quòd inter *Ambas Partes Legatus* medius intercedat.

Nunc autem, *Definitionem Legati* quod attinet, *Don Antonio de Zuniga*, hanc *Legati Definitionem* tradit; *Legatus Conciliator est in negotiis Principum; Vir peregrè missus particulari delectu, ad agendum de rebus ad universos spectantibus; non vi & armis, & apparatu Bellico & acumine gladii; sed vi & acumine ingenii, & facundiâ.* Alii *Legatum* sic definiunt; *Legatus minister est, qui refert conciliatorem Amoris.* Voce [*Legatus*] paucis *Besoldus* nos docet, illum utique esse virum missum ad alterius cujuspiam *Mandata* deferenda. At omnes hasce Definitiones improprias esse comperiemus, si ad Regulas Logicas illas exigamus; & *Descriptiones* potiùs, quàm *Definitiones* esse dicendas.

Legati

Legati nonnunquam appellantur [*Oratores*] sc. ab [*Oratione*] sive a volubilitate Linguæ, quæ est *Legati* princeps Organum. Appellitantur etiam *Nuncii*, quòd ad aliquid nunciandum properent. *Nuncii* verò arctiore significatione, nuperis annis, sunt ii quos *Papa* mittit, quibus negotium mistum incumbit, *i. e.* quà *Spirituale*, quà *Seculare*. Porrò, *Legati* sunt in triplici discrimine; est enim *Legatus natus*, *Legatus Missus*, & *Legatus à latere*. Horum primus habet potestatem perpetuam & Legatariam, successivè. Sic *Archiepiscopus Cantuariensis* in *Anglia* hâc Prærogativâ donatus est, utpote *Dignitate* ante sexcentos annos Sedi Archiepiscopali annexâ. Ac proinde nulli alii *Legati* in Anglia probantur, citra singularem Regis indulgentiam. Hinc (præter alia) unum præcipuè *Wolsæo* Cardinali crimini datum est, quòd potestatem *Legati* exercuisset, Rege inscio.

Est etiam *Legatus Missus*, & hic nihil aliud est, quàm *Nuncius ordinarius*. Est insuper *Legatus à latere* sive *Nuncius Apostolicus*, qui ex solo *Cardinalium* cœtu sive numero evocatur; & ejusmodi *Nuncius* aliquando provincias administrat, & *proconsul* audit; & hic ideo vocatur *Legatus à Latere*, quòd ejus *Lateri* proximus adstet, utqui sit intimus Papæ Fiduciarius.

Justinus memorat nonnullos appellâsse *Legatos* [*Lenones*] (non autem sensu sequiore & improbo) sed ideo quòd animos Principum, ad quos mittuntur, nescio quibus verborum illecebris, & *Lenociniis*, ad se pelliciant.

Græci Legatos suos [Πρέσβεις] nuncupant, ob ætatis αἰδὼ, quam assecuti sunt, & quòd sint mundanarum rerum cognitione protè conditi. Sunt etiam *Deputati* sive *Vicarii*, & *Commissarii Legatis* admodum similes, discriminantur tamen ex Jurisconsultorum sententia, propterea quòd *Legati* fere mittantur ad *æquales*, *Deputati* ad *Superiores*, *Commissarii* ad *Inferiores*.

Est etiam alter *Publicus* Status Minister, qui appellatur *Agens*; & ille mittitur, ubi orta suspicio est, *Legatum* non honoratum iri pro suo merito. Ac proinde Reges Gallici (nuperis annis) nullos ad Imperatoris Aulam mittunt *Legatos*, nisi *Agentes*, quos vocant; ideo quòd etiamnum hodie *Gallus* & *Hispanus* de *Præcedentia* colluctantur; Tum etiam ideo *Agentium* utimur operâ, ut parcatur sumptui, & ut negotia sine strepitu expediantur.

Et, ante aliquot annos, novus quidam *Status* minister est institutus, *Residens* appellatus, cui *Agens* cedit, ut ille *Legato*. *Agens* autem & *Residens* sunt perinde in tuto atque *Legati*, at minùs splendent aut minus possunt. Et nihilo tamen secius penes *Agentes* est negotia tanti momenti, quanti *Legati*, conficere, clanculum licèt, & minore cum tumultu. *Hottomannus* itaque memorat, *Reginam Angliæ*, & *Germaniæ* Principes, habuisse *Venetiis Les Agens secrets*, ideo quòd, ob Religionis discrimen, *Senatus* Videri noluit amicitiam cum illis arctam contrahere; & ad hæc arcana negotia peragenda, *mercatores* semper visi sunt & habiti commodissimi; quia sub commercii obtentu, Secreta Regni consilia occultare possent.

Sunt

Sunt etiam *Feciales*, qui *Legatis* assimilantur; & horum ordo est perantiquus, & Caduceatores appellantur, quorum munus est bellum denunciare. Etenim ea fuit generosa superiorum seculorum integritas & honesta simplicitas, ut nunquam aciem struerent, nec bellum denunciarent, nedum inferrent, nisi de Consilio suo, prius ipsos hostes satis maturè monuissent; & hi, quos mittebant (ut *Legati*) fuere ad tempus ab omni injuria liberi; erant tamen conceptis verbis adstricti. Porrò, illorum personæ æquè fuere in tuto, atque *Legatorum* solent. Et hoc in causa fuit, quòd *Essexiæ comes* milites suos in *Agro Keintonensi* objurgaverat (quo tempore Rex noster nuperus, ad eum miserat Dominum *Gulielmum Nevium* equitem *Armorum Regem*, postridie ejus diei, quàm Prælium fuisset depugnatum) quibus in animo fuit, in eundum *Nevium* tumultuosè & cum clamoribus involâsse. Sunt itidem alii *Status* ministri Politici, qui ad Formam *Legatorum* proximè accedunt, & hi appellantur *Consules*; quorum nonnulli Commissione Regiâ muniuntur, etsi proprium illorum munus sit, à Mercatoribus stare, eosdemque tueri (utqui sint in Institutis istius Regionis dignoscendis exercitati, & Linguam ejusdem calleant) in Litibus contestandis; & iti tanti æstimantur, quanti *Agentes*.

Hujus autem generis Ministros *Anglia* plures habet, quàm aliæ Gentes usquam, & amplissimum Salarium iis assignatur. E.gr. Illi qui est *Consul Aleppo* quatuor Thalerorum millia annuatim numerantur; *Smyrnensi* & *Moscoviensi* ferè totidem: Atqui verò, si *Legatus* in illo Principatu

Com-

Commoretur, ubi *Consules* isti ad Serviendum agunt, in multis, mandatis ejus obsequi tenentur, utqui sint illi subordinati.

Huic Paragrapho Coronidē imponemus, hâc nimirum *Legatorū* distinctione superadditâ; nempe, alii quidē *extraordinarii* seu plenipotentiarii sunt, pro tempore, ad res aliquot singulares easdemque grandes gerendas missi, sc. vel ad condolendum, vel ad congratulandum, vel ad Colloquium de *Nuptiis*, &c. & hi magnificè ornantur, & numeroso Satellitio stipantur, & regredi domum possint pro arbitrio suo sine petita Venia, nisi clausulâ aliquâ Commissionis suæ prohibeantur: Alii Verò sunt *Ordinarii*, sive *Legati-Statarii*, qui jubentur alicubi residere, dum Literis ad illos datis in patriam suam revocentur: Et ut redeundi tempus est incertum & indefinitum, ita illorum etiam negotia peragenda sunt pariter incerta, utpote orta a rebus inopinatò contingentibus; & incumbit illis potissimùm res mercatorum tueri. Atqui verò *Albericus Gentilis*, unà cum aliis ejusmodi Juris consultis, affirmant hoc *Legatorum* genus esse nuperum & recenter institutum; & *Paschalius* non dubitat illos planè appellare *Emissarios*, *Exploratores*, *Speculatores*, sive *Catascopos*; adeo ut *Henricus Anglorum Rex* ejus nominis (aiente eodem *Paschalio*) septimus, nullos ejusmodi homines intra Regni sui pomœria ferre consuevit.

Para-

Paragraphus Secundus.

De absoluta & indispensabili Legatorum *necessitate, & quòd, iis demptis, humanum Genus non possit consistere.*

ABsque *Legatis*, Regiones bellis urgerentur sempiternis, & perpetuis inimicitiis digladiarentur, nec non jacerent omnia ignorantiâ sepulta; *Princeps Principi* nunquam innotesceret, nec ullum esset amicitiæ fœdus inter illos initum, neque *Nationes* ullum haberent inter se Commercium. *Brunus* asserit, nullam Actionem, Officium nullum, nullum negotium in Repub. esse magis necessarium, aut difficilius, aut magis honorandum, quodve majorem prudentiam requirat, sagacitatem & cautionem, quàm illud *Legati*. Hoc autem munus, ut honorem & opes habet sibi adjunctos comites, ita plusculum periculi illud a tergo sequitur.

Legati sunt emissitii Principis oculi, aures ejus, & manus, immo intellectus ipse, & ratio, ejusque spiritus, & oratio. Quæ omnia Poeta contemplatus, & in animo agitans, ita canit, & ait quòd *Legatus* sit

----Vox Regum, Lingua salutis,
Fœderis orator, Pacis via, Terminus iræ,
Semen Amicitiæ, Belli fuga, litibus hostis.

Memo-

Memorant historiæ observationem scitu dignam, utpote variis exemplis corroboratam, in Colloquiis de Pace, *Regum congressum* magnis negotiis remoram injecisse. Ac proinde qui Politica scripserunt, aiunt, in Colloquiis de Pace instauranda, non debere principes ipsos comparere, sed per *Legatos* repræsentari. Iter a regibus conficiendum, multas molestias accersit, & grandes impensas postulat. Spissum & operosum opus est adornare Comitatum eorum ut commodè & abundè instructos se ostentent. Præterea, quantum temporis insumitur in magnificas illas Ceremonias, in Actionem tam Solennem, & in tam multiplicem apparatum?

Philippus Comineus (ad quem Legendum nemo unquam accessit, quin redierit sapientior) ad hanc rem optimas Cautelas suggerit, dum affirmat Monarcharum, sive Magnorum Regum Congressus, esse puram putam imprudentiam, nempe, ob varias Circumstantias quæ illum comitantur. Hinc enim oritur æmulatio, suspiciones, invidia, & propter ceremonias quasdam, minus necessarias, mora & cunctatio. In exemplum adducit, Congressum Regum *Angliæ* & *Francorum*; (ubi notetur obiter, *Angliam* ab eo *Galliæ* præponi) & insuper ait, *Ludovicum* undecimum, quantumvis ipse fuit de se Πολιτικώτατος, sive in rebus Politicis versatissimus, magnus tamen illum metus incessit, ne unum aut alterum verbulum effutiret, quod vel molestiam *Angliæ* Regi facesseret, vel utilitatem illi afferret, vel ad res ejus commodiùs gerendas, ansam daret, aut *Regis* Ministros ullatenus adjuvaret. His superaddit in-

inauspicatum iter quod *Lusitaniæ Rex* fecerat ad eundem *Regem Ludovicum*, nempe, in hunc finem, ut suppetias illi ferret adversus *Castilianorum* impetum, quas fortasse prudentis cujuspiam *Legati* operâ assequi potuisset. Et hoc propter, hac in parte, cautelam adjicit, in hæc Verba; *Bien Tard un Prince se doit mettere soubs la main d'un autre, ni aller cercher son secours en personne.* Non decet Principem seipsum in alterius cujusquam potestatem tradere, aut suis ipsius verbis auxilium Implorare. Quin &, *Paulus Æmilius* etiam describens Personalem Congressum *Richardi Regis Angliæ*, & *Philippi Augusti Regis* Gallici (qui in narratione sua *præponit* itidem Angliæ Regem Regi Gallico) (quod obiter adverto) ait, frequentem illorum societatem, & crebra inter illos colloquia, moræ & impedimento fuisse Consilio expeditionis in *Terram Sanctam.*

His adnectam exemplum illud memorabile *Matthiæ Regis Hungariæ*, & *Vladislai Regis Bohemiæ*, qui post diuturnum bellum & multa prælia depugnata, statuerant inter se *Olmuti* in *Moravia* convenire, ad fœdus pacis ineundum; ubi *Matthias* (ad granditatem suam duntaxat ostentandam) fecit, ut *Vladislaus* illum præstolaretur dies 15. Porrò, *Matthias* venerat redimitus tempora viridi corollâ, ut ne caput denudaret; quo percepto, *Vladislaus* fecit, ut pileum quod tum gestabat, ita constringeretur, & tot etiam nodis undique impediretur, ut a capite suo revelli non potuerit.

Sic

--- *Sic Ars deluditur Arte.*

Sed his exemplis unum habemus multò recentius & clarius, illud nimirum, *Caroli Angliæ Regis* ejus nominis primi, cujus iter ad *Aulam Hispanicam* institutum, etsi nobile fuerit, & non indignum Principe (susceptum enim erat ut esset *Infantæ* charior) male tamen cessit, & dispendio nobis fuit; & totum negotium de Matrimonii fœdere, tum etiam de *Palatinatu* restituendo, retardavit; Id quod, *Legatorum* operâ, perfectè expediri potuisset, nisi *Principis* Adventus dissidii ansam præbuisset inter duos istos Regum *Privados*, *Buckingamium & Olivaresium*, quod ingens illud negotium planè ad nihilum redegit, in quo conficiendo totum jam decennium fuisset absumptum. Quod quidem si a solis *Legatis* susceptum fuisset (re totâ illis permissâ) haud dubie ad felicem exitum pervenisset. Hinc clarè perspicimus *Legatos* multum valere ad Regni aut Reipub. emolumentum pariter & complementum; adeo ut Romanus Orator appositè Loquutus sit;

Sentio Legatorum munus, tum hominum præsidio munitum esse, tum etiam divino Jure circumvallatum. His Canonem adjiciemus, *viz.* Juris consultorum, *Legatorum munus perquam utile est, & perquam necessarium.* Quod *Legatorum* officium Hispani quidem appellant *Santo officio y ministerio de Los Angeles.*

Paragraphus Tertius

Agit de Antiquitate, de primo Legatorum Ortu & quasi prosapia, de altissimo honoris gradu qui illis competit, de Illorum præcellentia, & decernit insuper, quinam idonei sint ad Legatos adornandos, mittendos, & exercendos.

A *Legatorum necessitate*, ad Illorum *Antiquitatem* transiliemus; & certè si largiamur illos esse perquam necessarios, necesse etiam est sint *Antiquissimi*. Sunt qui existimant *Legatos Antiquitatem* suam ducere a *Belo Nini* Patre; at *Josephus* statuit illos esse longè antiquiores, & illorum orginem Ipsi Deo imputat, qui ex *Beneplacito* suo, hujus ministerii gratiâ creavit angelos. Hinc *Legatio* dicitur à Græcis Ἀγγελία, utpote (per similitudinem) deducta ab Hierarchia Angelorum, qui a Deo Regum Rege, gravissimas ob causas, mittuntur ut *Legati extraordinarii*, nempe, vel ad negotiũ aliquod magni momenti expediendum, vel ad revelandum & prædicendum Regnorũ Eventum sive Catastrophen (sic Archangelus *Gabriel* missus est ad *Danielem*) vel ad rem aliquam novam & singularem declarandam, ut ad *Beatam Virginem* missus est, nempe ut illi annunciaret *Salvatoris* nostri conceptionem, *&c.* Nullus autem est vel Ordo, vel Regimen in hoc sublunari Mundo, sive Ecclesiasticum sit, sive Politicum & secu-

ſeculare, cujus Idea primùm non extiterit in illo ſublimiore; eò quòd Omnipotens Deus creavit elementarem Mundum, & ſtatuit ut ejuſdem Gubernatio eſſet conformis exemplari Prototypo, quod Mens Divina in ſe primulùm conceperat, idemque Regno cœleſti indixerat.

Huc refertur illa veterum Ethnicorum fabula. *Ariſtides* enim memorat, quandoquidem in Primordio mundi, Humanum Genus à Brutis Animalibus inquinatum eſt, quorum aliquot erant multò robuſtiora, aliquot velociora, aliquot veneneſiora, ut aliquando homines fuerint avibus in prædam, brutis greſſilibus, & ſerpentibus; Prometheus humanæ Creaturæ ſaluti & incolumitati proſpiciens, factus eſt *Legatus* ſive *Orator*, & ad Jovem mittitur, ut narraret illi calamitoſum humani generis ſtatum. Hinc Jupiter decrevit mittere filium ſuum *Mercurium*, ut doceret humanum genus Rhetoricam, *i. e.* Artem flexanimam, ſive movendi affectus rationem; cum eo tamen, & cum hac cautela, ut ne cum omnibus ex æquo hanc eloquendi facultatem communicaret; ſed cum excellentiſſimis, prudentiſſimis, & fortiſſimis viris.

Quo pacto, homines ſtatim ex altis montibus devolârant, ex cavernis & locis undique circumſeptis in apricum prorepſerant, & per hanc Artem Oratoriam, ſive facundiam, in ſocietates coaluere. Hinc evincitur, *Mercurium* Deum Eloquentiæ fuiſſe primum *Legatum*; idemque pingitur alatus ad celeritatem ejus indicandam. Præterea, geſtat in manu Virgam candidam dictam *Caduceum*, in complexu duorum Draconum ſibimet

met invicem abblandientium; id quod indicio est, *Legati* munus esse destinatum ad pacem conciliandam, ad pangenda fœdera, necnon ad Bellum denunciandum, quod a Draconis feritate innuitur. Nunc demum nos de Legatorum *Antiquitate* copiosè locuti, ad honorem *Legatorum* accedemus, qui citra controversiam necesse est sint admodum honorabiles, cum tam sint Antiqui.

Non peccat in Deitatem, qui dixerit Regalitatem esse Divinitatis radium, Honorem Regalitatis; quorum alter quidem, sine intercedente medio deducitur a Cœlo; alter verò a Terrarum Regibus manat, qui Honoris Fontes dicuntur. Hujus autem secundi radii reflexio in neminem rectiùs incidit, quàm in *Legatos*, qui Principum personas sustinent, & exhibent. Unde fit, ut illorum ædes sint Sanctuaria sive asyla, Personæ sacræ, illustres, nec à quoquam violandæ. Et hic ingens honor defertur illis, non solummodo ipsorum gratiâ, Dominorumque suorum; sed quòd media sint ad Bonum publicum promovendum, quòd illorum operâ bella sopiantur, quòd sint proxenetæ Pacis, Amicitiæ, & unanimitatis; quodque per illos Commercium inter nationes a se invicem longè dissitas, feliciùs procedat.

Porrò, hoc etiam valde facit ad *Legatorum* honorem, quòd non sit cujusquam mittere quenquam peregre ad negotia apud Exteros peragenda Legati Titulo insignitum, nisi Regis, aut Principis. Nemo qui sit subditus, potis est *Legatum* vel mittere, vel recipere; quantumvis sit grandis Vice-Rex; id si fecerit, crimen est Læsæ Majestatis.

Ac

Ac proinde, *Scoti*, qui (antequam nuperum istud intestinum Bellum erupisset in Anglia) *Loudenum*, & alios clanculùm miserant ad Regem Francorum, petitum suppetias, nomine Totius Scoticæ Gentis, commiserunt Crimen læsæ Majestatis in summo gradu. Et licèt ipse Rex, illorum nuncios aversari & respuere videretur; attamen Cardinalis ejus ita in illos amore flagravit, ut in ulnas suas & amplexus rapuerit; & hinc primum præfati Belli incendium erupit. Memoriæ proditum est, in Vita *Elizabethæ Anglorum Reginæ*, *Ducem D' Alva* (quo tempore *Flandriæ* imperitavit) misisse Christophorum Assonville, veluti *Legatum*; atqui verò *Regina* hunc *Pseudo-Legatum* planè repulit, ideo, quòd nullum habuerit vel mandatum, vel literas fiduciarias ab Hispanorum Rege, cujus mancipium iste *Alva* tunc erat.

Anno 1604 *Hispaniarum Rex* rogavit ut Minister Publicus a *Belgis* in *Angliam* missus, non appellaretur *Legatus*, ideo, quòd *Belgæ* sint *Germanici Imperatoris* subditi, & alterius imperio subjiciantur, utpote qui fuissent a *Carolo* 5 in numerum subditorum suorum adsciti, *Ann.* 1548. in *Concilio Augustano*, ut *Meteranus* refert; & insuper ait, *Rodulphum secundum* ad illos dedisse literas, *Ann.* 1607 tanquam ad Imperii sui mancipia; & hoc propter, non potuere agere, vel de Fœdere pacis ineundo, vel de Bello gerendo, invito *Cæsare*; id quod non dubitarunt agnoscere per literas suas *Coloniam* missas.

Electores & Principes *Germaniæ*, privilegium mittendi, & excipiendi *Legatos* assecuti sunt; eos

nempe, qui de rebus ad ipsorum Territoria spectantibus agerent; non licuit tamen illis Imperii res attingere: eodem etiam privilegio fruuntur oppida quæ vocantur *Hans Towns*. Non est autem penes Rebelles *Legationis* negotium alicui dare, immo nec Fecialem mittere. Itaque *Carolo* 5. meritò vitio datum est, quòd Fecialem cum literis bellum ab hominibus *Lutheranarum Partium* denunciantibus, impunè abire siverit; etsi tunc temporis interminatus sit, se daturum illi catenam, non auream, sed canabinam, si iterum veniret.

Electores autem & *Germaniæ* Principes quod attinet, & oppida vel etiam urbes *Hansæ*, diu multumque disputatum est, utrum habuerint *Jus Legationis*, & utrum penes illos esset nuncios mittere Legatorum nomine nobilitatos, eorundemque facultatem & privilegia sortitos. De principibus & Electoribus, *Kinknerus* Jurisconsultus nominatissimus, censet, *Germaniæ* Principibus talem Prærogativam competere; sed Jure tantùm secundario. *Et qui Jus mittendorum Legatorum secundario tantum Jure habent, mittuntur Legati non de rebus universum concernentibus Imperium, sed tantùm sui Territorii ratione, eo enim ipsis intuitu tantùm datum; ultra igitur terminos non est procedendum; fieret enim alias præjudicium Imperatori*, &c. Sunt etiam aliquot *Italiæ* Dynastæ, qui hac in parte non minùs Majestati Imperiali subjiciuntur, sed, *&c.*

De Oppidis verò & societatibus fœderatis, eadem illa privilegia sibi perinde vendicant, atque *Principes* solent; sunt enim Civitates *Imperiales*

li-

liberæ, eademque Regalia participant, connivente tamen *Imperatore* & indulgente veniam, ad quam necessitates ejus identidem illum adegerant. *Provinciæ Belgicæ*, sub ejusmodi Juris obtentu (sub initium istorum Tumultuum & turbarum) *Baronem de Montigni* ad *Hispaniarum Regem*, ut *Legatum* suum, miserant; at *Philippus* secundus eum obtruncavit, & hæc verba subjecit, *viz. Rebelles & mancipia potestatem non habent mittendi Legatos.* Hic tamen *Hispan. Rex*, ejus abnepos, *Phil. Quartus*, *Aschamum* admisit a Rebellibus æquè famosis (licèt illum non attigerint) hâc nimirum excusatione adductâ, nempe, propterea quòd *Elizabetha Angliæ Regina Legatos* excepit ab *Hollandia* missos, sub primam eorum defectionem; antequam illos esse populum sui Juris agnosceretur; illamque fuisse *istis Belgis* firmissimum subsidium, & quasi Proram & Puppim.

Huic autem *Paragrapho* finem impositurus, hanc quæstionem satis spinosam adjiciam, nempe, Utrum Princeps Heterodoxus possit jure mittere Legatos ad Papam, ex pura puta humanitate, nullâ habitâ Religionis ratione, & per reciprocum candorem ab Illo alterum recipere? *Dominus Ashtonus* aliter sensit, at *Dominus Edvardus Cocus* Affirmativæ parti adstipulatus est; & hanc rationem subjecit, quoniam, inquit, *Papa* duplici *Jurisdictione* pollet, *Spirituali*, & *Temporali*, utpote ex duobus Elementis conflatus, *viz. Spiritu & Carne.* Adeo ut non magis illicitum sit ad Illum *Legatos* mittere, quàm ad *Turcam* aut *Mogullium.*

Paragraphus Quartus

Agit de Privilegiis, Tutela, Receptione Legatorum, & quod omni ævo, eorum Personæ semper fuerint permagno æstimatæ, & quidem sacræ habitæ.

INter non pauca privilegia, quibus *Legati* perfruuntur, idque jure Gentium, non solummodo ipsorum Personæ semper habitæ sunt sacræ, nec ullo modo violandæ; sed etiam illorum ædes fuere perfugia, nemine obstante; Quin & omnes illorum famuli, ab Oeconomo ad Lixas & calones, immunes sunt ab omni injuria & violatione, nec in jus rapi possunt. Et hi incolumes sunt, non duntaxat in *Aulis Principum*, & civitatibus, sed etiam in structa acie, inter gladios & sclopeta. Licèt enim *Legati* ab hostibus mittantur, non sunt tamen ipsi hostes existimandi. Quandocunque in littore pedem fixerint, aut confinia Principum, ad quos mittuntur, attigerint, deducuntur ad Aulam a *Mansionariis* & *prodromis* sive *Antambulonibus*, & etiam alio aliquo frequenti comitatu. Si à Latronibus *bonis* suis spolientur, *Princeps* damna illorum resarcit. Si *Legatus* extraordinarius advenerit, sub primum ejus ingressum, majore cum pompa, & splendidiore comitatûs apparatu excipitur; & ipse cum universo suo famulitio, impensis Regis suum habet Hospitium, & commeatum in aliquammultos dies.

Quo

Quo tempore auditur a Rege, Rex illi assurgit, & caput suum aperit, corpusque suum proclinat. *Besoldus Regem Angliæ* in exemplum producit(*An.* 1527.) & ostendit quàm benignè erga *Legatum Gallicum* se gesserit, perinde ac si *Rex* ipse præsiò fuisset. Hæc sunt ejus ipsissima verba; *Angliæ Rex Gallicum Legatum planè ut Regem observavit, eique supremum locum concessit, adeòque honoravit, ut in Comœdiis ipsius Regalis filiæ sustineret personam.*

Atqui verò *Electores Principes*, hac in parte, se insolentiùs gerere videntur, & *Legatis* locum præripiunt, ideo (ut *Guetta* & alii quidam Juris consulti disputant) quoniam, *in præsente Principe vera Majestas, in Legato tantùm dignitas aliena; & in principe rei veritas, in Legato effigiata & adumbrata est; ut autem umbra luci, ita principi Legatus; quamvis enim Fictio tantum operetur, quantum rei veritas ipsa; tamen ubi veritas & Fictio ad idem collimant, veritas prævalet Fictioni.* Immo *Electores* conjuncti, non dubitant asserere se esse grandiores *Imperatore*, utpote ex illis orto, & illorum suffragiis & delectu, ad altissimum illum honoris gradum evecto. Huc pertinet illa *Fecialium* sive *Caduceatorum* Regula, *Honor est in Dante.* Sed hæc obiter.

Privilegium autem *Legati*, tam egregium est & sublime, & Persona ejus tam est singularis & sacra, ut quisquis aliquid adversus ejus incolumitatem molitur, aut etiam solummodo machinatur, reus sit læsæ Majestatis, *i. e.* dicetur fidem suam fefellisse, & Publicam Autoritatem, jusque Gentium violâsse, & quasi pedibus conculcâsse. Etenim

enim, *Qui violârit Legatum, Lege Juliâ, de vi publica tenetur*; & vis *Legato* illata *Lege Pontificiâ*, *Piaculum* est; & idcirco, hujus flagitii reo sacrorum usu interdicitur.

Nec desunt exempla, quibus patet quanta vindicta *Legatorum* violatores a tergo sequatur, & quot plagas illis *Rhamnusia* intentet. Rex *Ammonitarum* *Davidis Legatos* illuserat, & malè tractârat; & ut illos magis deridendos propinaret, barbas illorum dimidiavit novaculâ, & vestes illorum ita discerpserat, ut vix illorum nates obtexerint. Quis autem fuit hujus opprobrii exitus? *Ammonitæ* postea in prælio fusi sunt, & *Rabba* illorum Metropolis cum aliis urbibus a militibus furore instinctis, diripienda relinquitur; atque ita contumeliæ *Legatis* factæ pænam dederunt. Moris erat apud Romanos amandare illos graviter puniendos & in victimam immolandos, pro arbitrio suo, ad Regem illum, cujus personam in *Legato* suo violando, atrociter violâssent. Sic *Minutius*, & *Manlius*, *Carthaginem* ablegati sunt ex S. C. propterea quod *Carthaginenses Legatos Romæ* violâssent; Tanti fecere *Romani* sacras *Legatorum* personas; ut si quis Civis *Romanus*, vel nudis verbis *Legatum* violâsset, illum ex numero Civium pepulerunt, nunquam postea ad illius ordinis dignitatem restituendum. Immo, vel ipsum *Legati* nomen tam erat sacrum, ut cum *Scipio Aphricanus* cum suis navem occupâsset illustribus *Pœnis* onustam, omnes illos illæsos dimiserit, nec vim illis intulerit, ideo, quòd dixissent se esse *Legatos*, etsi postea compertum sit, illos non fuisse *Legatos*; ut *Carthaginenses*

nenses isti dupliciter *mentiti* sint. Exemplum certè sine pari! Ut (aiente *Val. Max.*) *Romani Imperatoris potiùs decepta fides, quàm frustrà implorata videretur.* Porrò, Alterum est *Legatorum* Privilegium, ut omnes illorum *liberi* peregre nati, sint municipes, & ejusdem juris cum indigenis (quocunque sub axe) nec opus est ut Civitate donentur. Cujus rei rationem subdit *Hottomanus*, nempe, quia non possunt hinc abesse toto tempore, cum assiduè versentur in negotiis patriæ suæ peragendis, etsi in *Bonum publicum* aliquantisper exsulent: & si fortean inibi moriantur, tamen illorum *bona* in publicum ærarium non rediguntur, ut in aliquibus Regionibus advenis usu venit.

Ubi fuerint Domum accersiti, commodissimis & opimis præfecturis & officiis donantur; non ad *Capones displumandos*, ut *Gallus* quidam subsannavit. Huic rei fidem facient, *Dominus Henricus Vanus*, *Dominus Petrus Wich*, *Dominus Thomas Edmondus*, qui omnes Commeatui familiæ Regiæ præficiebantur. Deinque, post illorum obitum, in perennem tantorum virorum memoriam, erigebantur statuæ.

Para-

Paragraphus Quintus

Agit de Legati Institutione sive Educatione, & etiam de Dotibus & Excellentiis, tum acquisitis, tum a natura insitis, quæ in Legato inesse debent.

Ut in *Polemarcha*, sive *Archistratego*, fortitudo est summè necessaria, nec non magnanimitas, & animositas; sic in *Legato* necessaria est sapientia, sagacias, & prudentia, tum ad res gerendas, tum etiam ut consilium capiat ad negotiationem suam promovendam. In his etiam utrisque requiritur *Eloquentia*, sive facultas dicendi: in *illo*, ut probare possit causam Belli esse justam; & ut etiam militibus suis, orationibus paræneticis animos addere queat, & ad dimicationem excire (quem in finem conciones non ita pridem a nonnullis adhibitæ fuerunt) in *hoc*, ad movendos *Principis* affectus, ad quem mittitur. Et hanc ob causam *Mercurius* constitutus est Deorum *Legatus*, sc. ob *Eloquentiam* suam. Et hæc dicendi suavitas in *Legato*, pendere debet, quà ab Arte, quà ab ipsa natura, sivè a facultate innata. Etenim, ut Loquuntur *Itali*, *una oncia di Natura, vale una libra di dottrina*; *i. e*, Una uncia naturæ tanti est, quanti una libra Doctrinæ. Literaturam ejus quod attinet, duæ primariæ dotes in illo requiruntur, nempe, *Historiarum cognitio*, & *in linguis peritia*. Ab Historiis verisimile est illum non

posse

posse non abundare Exemplis, & observationibus locupletari à præcedentibus sumptis, & resciverit etiam, quo modo alii *Legati* se gesserint; quibus cum insultibus & difficultatibus in negotiationibus suis occursantibus conflictati sint; & quales fuerint earum exitus. Si *Linguas* calleat, mirum in modum erunt illi adjumento ad negotia sua & feliciùs & faciliùs expedienda, & cum aliis *Legatis* illico sermones conferet, & ex illis hauriet quid rerum novarum sit allatum, & quid alibi gestum fuerit, & primariis viris & Principis illius ad quem mittitur, ministris innotescet, & cum illis amicitiam contrahet, & apud illos gratiam inibit, & illorum amorem sibi conciliabit. Sed ex consilio Jurisperitorum, Legatus cautionem adhibere debet, ut ne aliâ utatur Linguâ, nisi quam ipse optimè callet, nequando verba ab eo malè collocata, auditoris aurem fortasse radant, & in ejus patientiam peccent. Hoc autem à *Legato* pro verissimo censendum est, *viz. Meglio è sdrucciolare co' piedi, che con la lingua*, i. e. Tutius est cespitare pede, quàm Linguâ. Cùm autem Lingua sit à natura *in udo posita*, ad lapsum prona est.

Fredericus Marsilaerus, Eques omni laude dignus, in libro suo qui inscribitur [*Legatus*] & cum eo *Juris consulti* dotes non paucas quæ in Legato requiruntur, indicant.

Primùm, ut sit *indigena* [αὐτόχθων] sc. in illa regione natus unde venerit; & ut spes omnis fortunarum suarum futurarum omnium, in illa resideat. Peregrinus enim & alienigena, etsi civitate donetur, haud facilè tamen admittendus est;

ete-

etenim indigena actiore desiderio pro honore, & salute patriæ suæ negoriabitur, ejusque utilitati & emolumento magis prospiciet.

Deinde *Generosus* sit, sive *nobilis*; omnes enim *Generosi* apud exteros *nobiles* esse censentur & audiunt, (Ne sit *Agaso*, aut *Caprimulgus*) Hoc enim pacto, majorem inibit gratiam apud *Principem* & *Populum*, ad quos mittitur, & pluris æstimabitur; nec non comites, Marchiones, Duces, Principes, haud gravitim primarium locum illi cedent.

Tertiò, sit venustus & decorus, ut meliùs & commodiùs possit Personam *Principis* effingere. Etenim illius regionis incolæ ad quos mittitur, haud dubiè conjectaverint, *Principem* esse consimilem illi qui personam ejus repræsentat. Memoriæ proditum est, *Artaxerxem* ad *Alexandrum* misisse quadraginta viros lectissimos venustissimosque, quorum singuli *Legati* Personam sustinuere, iidemq; erant tam eleganter vestiti, ut (ex sententia Græcorum) difficile fuerit dicere, an Ornamenta corporibus, an corpora ornamentis essent commendatiora, *i. e.* an illorum vestimenta plus decoris corporibus accersiverint, an corpora vestimentis. *Legatus Romam* missus est ab *Anglia*, eoque deduxit secum venustissimorum juvenum catervam, quos *Papa* conspicatus, in hæc verba erupit; Hi videntur (inquit) potiùs *Angeli*, quàm *Angli*. Aristoteles cum rogaretur quid esset in causa, quòd externa venustas & Pulchritudo tantum amorem conciliaret, respondit, quæstionem hanc hauddubiè fuisse hominis capti oculis.

Quartò,

Quartò, Ut sit ætate provectior; siquidem Experientia cum sit prudentiæ speculum; & cùm prudentia sit præcipua virtus quæ requiritur in *Legato*; ii qui humeris suis senectutis onus sustinent, *qui ont pissè eu beaucoup de neiges*, quique (ut loquuntur Galli) humanarum rerum vicissitudines, & earum exitus secum reputant, necesse est experientiâ multò maximâ abundent; illos intelligo, qui effrænatos istos juventutis affectus coercuerunt; istos (inquam) qui, ut canes molossi, de die in diem nos adoriuntur, & aliquando transversim rapiunt. *Senatores*, sive consiliarii Regni, deducunt nomen suum à voce [*Senex*] & *Legatus* (quem supremis consiliariis meritò accensemus) debet esse *Senex*. Verum est illud diverbium, *Viri in multis versati, versuti evadunt*.

Quintò, Ut sit satis opulentus, nedum indigus, & imparatus a pecuniis; hoc enim pacto, in rebus gerendis, & in obeundo munere a se suscepto diligentior & experrectior futurus est, ideo quia suppetit illi aliquid, quod nolit amittere. Siquidem opes ejns quodammodo dici possint illi vadimonio esse peregre commoranti. Ad hæc, Legatus pluris æstimabitur, si compertum sit illum divitiis circumfluere.

Sextò, Ut munificus sit & prolixus, memor illius quem adumbrat; sordes enim, & tenacitas, & parsimonia, ab omnibus odio habentur, & neminem non dehonestant, maximè verò *Legatum*. Hispanicum est diverbium, *Dadivas entran sin taladro*, i. e. *Dona foramen conficiunt sine terebra:* nec quicquam Legati magis interest, quàm ut possit moliri viam & penetrare in consulta, gesta, & arcana

arcana iſtius regni in quo ad tempus pedem fixit; id quod clauſis manibus, & tenaci illiberalitate nunquam fecerit. Cum *Sulpitius Galba* & *Aurelius Cotta* concertarunt, uter eorum mitteretur *Legatus* in Hiſpaniam,(quo tempore *Viriatus* erat in vivis) *Æmilianus*, unus ex Senatoribus, cenſuit & dixit, neutrum illorum eſſe ad *Legationem* idoneum; quippe quòd, àlter eorum eſſet inops; alter avarus & ad rem attentior; alter nihil habuit,alterum nihil ſatiare aut explere potuit. Occurrit apud P. Jòvium obſervatio notatu digna, nempe,cum *Florentini Legatos* mitterent ad *Carol.* 5. & *ad Clementem* 7. *tunc* temporis *Bolonia* commorantem; *Legati* cum ſupellectile ſua, merces etiam venales clanculum adduxerant, ideo quòd eſſent inibi a vectigali immunes: atqui verò, Telonii ſcrutatores, perſpecto dolo, & palam facto, illos pro ludibrio habuerunt; & hi, ut indigni tam illuſtri munere, *inauditi* domum accerſebantur. Et vel hinc liquet, Legatorum ſarcinas poſſe excuti & *explorari*. His adjiciemus obſervationem alteram *Domini Thomæ Chaloneri*, qui miſſus eſt *Legatus* in Hiſpaniam ex mandato *Elizabethæ Reginæ*. Hunc ſtatim, poſt ejus appulſum, ſcrutatores aggreſſi ſunt, ciſtas ejus & ſcrinia reſerârunt, & inſpexerunt,omneſque ejus ſarcinas excuſſerunt. De hac inſigni injuria *Legatus* dat literas ad *Reginam & Concilium* ejus; at illi (inquit *Camdenus*) hiſce verbis conſultò reſponderunt, *Legato omnia æqui bonique ferenda, dummodo Principis honor non directè violetur.*

Septimò, Ut ſit inurbanitatis & moroſitatis expers, ſed acceſſibilis, comis & affabilis; ſalvâ

tamen

tamen ejus dignitate & gravitate, ubi res, tempus, locus, & personæ, quibuscum versatur, postulant. Humanitas & benignitas apud omnes plurimum possunt; nec amicus ille magnò constat, qui comitate comparatur. Ac proinde, *Legati* plurimùm interest, eundemque decet apud omnes urbanè, placidè & allicienter se gerere; at tamen interea temporis, cautè viderit, ne sit nimiùm Civilis, ne vilis appareat; & caveat insuper nequem indigniorem sive inferioris ordinis homunicionem blandè compellet.

Octavò, Ut sit quadratus & constans, & ut Religionem Principis & Patriæ suæ strenuè tueatur, & animosè defendat, eandemque certa cum fiducia profiteatur, & praxin etiam ejusdem promoveat; saltem privatim & intra suos parietes, si minùs publicè queat; nihil enim existimationem cujusquam æquè attollit, atque de ejus pietate opinio. In hanc itaque curam diligenter incumbat, nempe, ut conducat ædes amplas & splendidas, & ab Aula longè dissitas; si enim in propinquo sint, edacia & bibacia visitatorum, & Parasitorum examina crebriùs justo involabunt in ejus patinas. Tum porrò etiam, iisdem vestibus assuescat, quæ Principis sui sunt, & Patriæ. Siquis enim hac in parte discedat à *Principe*, videbitur etiam Principis sui Personam exuisse. Hujusmodi crimen levitatis indicium est, Phanatici & vacerrosi cerebri κριτήριον. Cujus culpæ reus extitit *Dominus Rossensis*, qui, regnante *Jacobo*, missus est Legatus in Hispaniam, & sub primam ejus Audientiam (quam vocant) & deinceps, in vestitu, sive cultu Hispanico comparuit. Denique,

qualia etiam vestimenta asseclis suis honorariis; & servulis qui sunt a pedibus gerenda sint, Legatus viderit; nempe, ut sint neque nimis splendida, neque sordida, neque Phantastica, aut Phanatica. Tum de rheda sibi prospicere debet, ut sit decora, & solidè fabricata, ut trahatur insuper equis generosis, quæ omnia *Legatum* valdè illustrant, & in conspectu populi ita nobilitant, ut nihil supra.

Paragraphus Sextus

De Delectu & constitutione Legati, nempe ut sit par negotio & idoneus suscepto muneri.

SAgacitas & Prudentia Principis nullibi clariùs elucescit, quàm in *Instrumentorum* sive ministrorum suorum delectu. Non illepidum est illud veteris Poetæ,

Organa si desint fabro, nil fingitur arte.

Sed præter cæteros ministros suos, maxima adhibenda est cura in deligendo Legato. Ut enim *Salus Regni pendet a Rege, ita incolumitas Regis pendet a virtutibus Legati.* Hoc itaque fiduciarium onus, hæc sacra Functio, non est cuivis prostituenda; *nam ex quolibet Ligno non fit Mercurius*; non possumus ex omni stipite fabricare *Mercurium, i.e. Legatum*; *Mercurius* enim habitus est Deorum *Legatus.*

Romani

Romani olim, ad breve aliquod tempus, *Legatos* sortilegio elegerant, *i. e.* ductis sortibus, ut nunc dierum *Veneti* eligunt suum *Doge*; & hæc ratio instituta est, quà ad præcavendum ambitum, & quà nequis largitione corrumperetur. Aliquot electi sunt *Togâ*, propter eorum prudentiam; Aliquot *Sago*, propter illorum in bello peritiam, pro re nata, sive prout res ipsa postulabat. Et certè plurimùm facit in commodum Legati, si aliquâ saltem belli gerendi scientiâ instruatur; utcunque necesse est incedat *accinctus gladio*; & Principis qui *Legatum* mittit, interest habere gladium in manu, licèt agat de pace. Præcipua Legati dos est, ut sit intrepidus, nihil extimescens, strenuus, & animosus. Auferatur hinc pusillanimitas omnis, & mollities. Huc pertinet argutum istud proverbium, *Chi pecora si fà, il lupo se la mangia*, i.e. *Qui ovem se facit, lupus illum discerpet.* Ac proinde, Genius, & Ingenium ejus qui futurus est Legatus, diligenter inspiciendum est, excutiendum, & trutinandum, præsertim hac in parte. Est enim axiôma ab ipsa natura proditum, & verissimum compertum, nempe, *Timidus non potest esse vir bonus*: & certè Fortitudo sive magnanimitas, requiritur potissimùm in Legato; Siquid ergo malè ceciderit, siquid in rebus suis gerendis inauspicatò obtigerit, nolim tamen ut animum despondeat, nedum, propter aliquot infeliciores rerum exitus, prosternatur. Fortis apparere debet & in rebus asperis & adversis se imperturbatum ostendere. Porrò, omnia ejus Postulata animo præsenti & fidenti proponenda sunt; Etenim qui timidè rogat, docet negare. Ergo ne detrectet

petere quod nimium est, potiùs quàm pusillum aliquod & minutulum. Huc facit illud *Italorum* adagium, *Domanda assai, che non manchera poi a calare*, i. e. *Pete quod satis, ita remanebit satis quod detrahatur.* Ne sit itaque quasi conglaciatus, meticulosus, consternatus & pudore subrustico correptus. Puellorum & Puellarum verecundiam, & præ pudore rubentes genas in laude ponimus, quæ in Legatis essent turpissima. Argutum igitur est illud Hispanorum Dictum, *viz. Diabolus verecundos in Aulam protrusit.* Et etiam memoratu dignum est Dictum illud *Philippi secundi Hispaniarum Regis*, qui Cognomento erat *El Prudente*; hic cùm ex nobilibus suis quendam ad *Legationem* obeundam destinâsset, & ille, quem designaverat, *Regem* aggressus, quædam itineri & muneri suo necessaria & accommoda frigidè & meticulosè rogâsset; *Rex* timiditatem ejus & languidulum sermonem animadvertens, sic est adstantes affatus; *Qui fieri potest ut hic homo rem meam strenue promoveat, & negotia mea peragat, qui in suis conficiendis præ formidine ita languet, & friget!* Ut hoc incommodum evitetur, hanc viam expeditissimam esse censeo, nempe, ut generosus quispiam ex honesta familia oriundus deligatur; *quippe, Degeneres animos timor arguit.*

Unum illud (ut Historiographi narrant) quod *Ludovicum Gallicanum Regem* ejus nominis undecimum, maximè dehonestavit, hoc est; scilicet, quòd tonsorem suum *Legatum* miserat *ad Ducem Burgundiæ.* Quinimmo, negotium ab eo peragendum, erat etiam res magni momenti, nempe, ut ageret de Principe Filia ejus adolescente in matri-

tri-

trimonium collocanda. Sed tenuitas & vilitas hujus *Legatuli* fecit, ut consilium & negotium de *nuptiis* planè deferbuerit. *Matthæus Palmerius Pharmacopœus Florentinus*, felicioribus auspiciis res gessit, quàm *Tonsor iste Gallicus*. Is enim missus Legatus ad *Alphonsum* Regem *Neopolitanum* tam eleganter & concinnè, tamque magnificè se gessit, cum primùm apud *Regem* compareret, ut *Rex*, deprehendens illum esse Pharmacopœum, dixerit, *Se tali sono gli speciali di Fiorenza, quali debbono essere gli Medici?* i. e. Si *Pharmacopœi* sint tales, quales debent esse *Medici?* Licèt enim vulgarem Artem exercuerit, hujusce tamen tenuitatem, ejus eximiæ dotes, & haud vulgaris Eruditio compensavit.

Porrò, si *Legatus* à quo Persona Regis sustinenda est, sit corpore procero, & decoro, & si in eodem robur & corporis eucrasia vigeat, ad negotia Regis multò auspicatiùs expedienda, plurimùm valebit. Cautum est olim *Lege Mosaicâ*, nequis *Levita* fieret, qui mancus esset aut mutilatus, aut aliquo figuræ morbo laborans. Hi autem *Levitæ* (ut superiùs innuimus) sunt veluti Legati Omnipotentis Dei, & Reges sunt vivæ & spirantes Dei imagines, sive Typi; nec per quenquam hominem vel aliquâ deformitate turpem, vel etiam levi aliquâ Corporis dyscrasiâ languidulum, repræsentari volunt. Cum comes *Gondamarus*, & *Marchio* de *Inojosa* ab *Hispaniarum Rege* venissent in *Angliam* missi *Legati*, probè memini, alterum quidem illorum laborâsse podice fistuloso; alterum verò habuisse nares mutilatas. Postea prodiit (ut fit) libellus famosus, in quo scriptum erat, *Regem*

Hispaniarum tristem & calamitosum fecisse *Legatorum* delectum, quos in Angliam miserat; quippe quòd habuerit Ille (nempe, *Gondamarus*) *anum* Fistulâ exesum; hic *nasum* ulcere attritum.

In dubium vocatum est à Politicis, utrum *Legatio* commodiùs obeatur, per *unum*, an per *plures*. Hæc quæstio à Jurisperitis ultro citroq; agitata est. Qui stant a *pluribus*, premunt adversarios illo *Salomonis* dicto, *In multitudine consiliariorum salus est*. Et hanc opinionem variis exemplis adstruunt, & versus *Virgilianos* huc arcessunt, *viz.*

---Qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum Oratores patria de gente Latinos.

Darius miserat ad *Alexandrium* decem *Legatos*; *Romani* decem itidem mittebant ad Tumultus *Asiæ* compescendos; decem insuper in *Macedoniam*; quatuor ad *Fidenates*; Tres ad Carthaginenses. Sed non abs re fuerit audire *Paschalium* qui hanc Regulam tradit, *viz. Tentando, aut tractando, unus satis est; consummando plurium interventus desideratur. Petrus* etiam *Matthæus* memorat quadringentos Generosos Hispanos interfuisse pacto fœderi inter *Hispaniam* & *Galliam*; sed hic *Legio* fuit magis quàm *Legatio*.

Juris autem civilis periti, qui maximè in *Politicis* versantur, unum tantùm volunt; *Trop gran nombre est encombre*, i. e. Numerus justo grandior, non tam *ornat* Legatos, quàm *onerat*; quinetiam facilè perturbat ordinem, & rerum permistionem infert, & nectendis moris ansam præbet; & negotium, quo de agitur, nimis erit in aprico,

&

& paulatim in vulgus exibit. Unus autem per se,& occultiùs aget & diligentiùs, quàm ubi cum aliis societatem inibit. Huc faciunt Legum axiomata, *Cura plurium,cura nullorum* ; *&*,*Quod multos tangit,paucos angit.* Quid? quòd inter plures, oritur æmulatio vitiosa, quæ est rivalitati consimilis; necnon invidia, & alia quæpiam incommoda consequuntur. Erit igitur expeditissima, & commodissima via, nempe, ut sit unus tantùm *Legatus*; sed *Principis* intererit, eligere virum primarium, & omnibus numeris absolutum, qui sit antè *Lectus*, quàm *Electus*.

Altera etiam orta est controversia, utrum munus *Legationis* sit *virorum* proprium, & annon etiam *Fœminis* competat; at multò plures Affirmativam partem, quàm Negativam tuentur. Quæstio dein altera, satis perplexa prodita est *Romæ*, sc. utrum *Veturia*, *&* *Volumnia*, duæ Matronæ Romanæ, essent idoneæ,quæ(in re tam ancipiti) ad *Coriolanum*, *&* *Volscos*, mitterentur. Decretum est ut mitterentur, & tractatus sive Colloquium illud optimè cessit. Heroinæ quædam Romanæ publicitus mittebantur ad *Constantium Imperatorem*, nempe, ut Electionem *Liberii Papæ* irritam faceret, & factæ sunt Voti compotes. In more fuit apud Romanos, mittere Virgines Vestales ad Legationem obeundam.

Scitam habemus historiam de Guelphone Duce Bavariæ, cui Imperator Conradus succensens in tantas illum angustias redegit, ut illi necesse fuerit intra Winsburgi mœnia se continere arctâ obsidione ab Imperatoris Copiis circumseptum. Interea temporis, Imperator tam vehementer irâ

incanduit, ut nihil præter ferrum & flammas illi minitatus sit. Cum autem *Dux* jam esset ad incitas redactus, interque sacrum (quod aiunt) & saxum, non inconsultum fore putabatur ipsam *Ducissam*, tanquam *Legatricem*, ad *Imperatorem* & in aciem mittere; ad quem ubi venisset, tam magnificè se gessit, & ita rhetoricata est, ut flexanimâ suâ facundiâ indurata *Imperatoris* viscera emolliverit; & in tantum, ut non duntaxat ipsi *Ducissæ*, sed etiam (in ejus gratiam) omnibus fœminis ibidem cum ea detentis, impunè exeundi veniam indulserit; & concesserit insuper, ut secum asportarent, quicquid illis pretiosum & charum videretur; at viri jussi sunt *Imperatoris* sententiam manere. Hinc *Ducissa* dictùm factùm *Ducem* maritum suum humeris suis sustulit; *Uxoresque* omnes ad ejus exemplum, *maritos* suos itidem sustulerunt; Idem virgines & innuptæ fecerant; & vel fratres, vel cognatos, vel amasios suos asportârant.

Denique, his exemplum nuperum adjiciam de *Domina Sardam*, quæ toties inter *Bruxellas* & *Hagam* Comitis ultro citroq; commeavit, donec (post bellum annos octoginta terrâ marique gestum, pacis fœdus ab *Hispanis* & *Belgis* esset initum & ratum; ut vel hanc ob Causam (citra infamiam) illa *La Maquarelle de la Paix*, lepidè nuncupata fuerit.

Para-

Paragraphus Septimus.

De officio & Functione Legati in munere suo obeundo, & de fide sua liberanda Statui data, & de magna fiducia quæ in illo reponitur.

JUris Civilis periti, in *Legationum* Legibus studiosiùs versati, asserunt, *Legationem esse mysteriosum quid*, ideo quòd sit æquè taciturnitate & obscuritate velata, atque est fiduciâ plena. In *Magno Angliæ Cancellario* (qui *conscientiæ Regis*, æquè ac *Magni Sigilli custos est*) etiam à *Rege* magna fiducia collocatur; in hunc sc. finem, ut severitatem Juris communis æquitate mitiget, & leniat. *Supremus Justiciarius Banci Regii*, & Ille *Placitorum* Communium, & *supremus Ærarii Baro*, alienæ fiduciæ magnum onus sustinent; sed hi omnes res gerunt inter *subditos & subditos*, & quandoque inter *Regem* & *subditum*. Sed *Legati* sunt majoris fiduciæ compotes; illis enim quandoque cum *Regibus* & Regionibus res est; ac proinde, ut onus illorum gravius est, ita honor illis grandior debetur. In aliis fungendis officiis, non opus est ut res clanculùm gerantur; at silentium & taciturnitas anima est *Legationis*; ut quispiam dixerit, *Si pileum meum esset privatorum mandatorum meorum conscium, in focum conjicerem ustulandum.* Et ut summum hoc negotium honorificum est, ita

magnus

incanduit, ut nihil præter ferrum & flammas illi minitatus sit. Cum autem *Dux* jam esset ad incitas redactus, interque sacrum (quod aiunt) & saxum, non inconsultum fore putabatur ipsam *Ducissam*, tanquam *Legatricem*, ad *Imperatorem* & in aciem mittere; ad quem ubi venisset, tam magnificè se gessit, & ita rhetoricata est, ut flexanimâ suâ facundiâ indurata *Imperatoris* viscera emolliverit; & in tantum, ut non duntaxat ipsi *Ducissæ*, sed etiam (in ejus gratiam) omnibus fœminis ibidem cum ea detentis, impunè exeundi veniam indulserit; & concesserit insuper, ut secum asportarent, quicquid illis pretiosum & charum videretur; at viri jussi sunt *Imperatoris* sententiam manere. Hinc *Ducissa* dictùm factùm *Ducem* maritum suum humeris suis sustulit; *Uxoresque* omnes ad ejus exemplum, *maritos* suos itidem sustulerunt; Idem virgines & innuptæ fecerant; & vel fratres, vel cognatos, vel amasios suos asportârant.

Denique, his exemplum nuperum adjiciam de *Domina Sardam*, quæ toties inter *Bruxellas* & *Hagam* Comitis ultrocitroq; commeavit, donec (post bellum annos octoginta terrâ marique gestum, pacis fœdus ab *Hispanis* & *Belgis* esset initum & ratum; ut vel hanc ob Causam (citra infamiam) illa *La Maquarelle de la Paix*, lepidè nuncupata fuerit.

Para-

Paragraphus Septimus.

De officio & Functione Legati in munere suo obeundo, & de fide sua liberanda Statui data, & de magna fiducia quæ in illo reponitur.

JUris Civilis periti, in *Legationum* Legibus studiosiùs versati, asserunt, *Legationem esse mysteriosum quid*, ideo quòd sit æquè taciturnitate & obscuritate velata, atque est fiduciâ plena. In *Magno Angliæ Cancellario* (qui *conscientiæ Regis*, æquè ac *Magni Sigilli custos est*) etiam à *Rege* magna fiducia collocatur; in hunc sc. finem, ut severitatem Juris communis æquitate mitiget, & leniat. *Supremus Justiciarius Banci Regii*, & Ille *Placitorum* Communium, & *supremus Ærarii Baro*, alienæ fiduciæ magnum onus sustinent; sed hi omnes res gerunt inter *subditos & subditos*, & quandoque inter *Regem* & *subditum*. Sed *Legati* sunt majoris fiduciæ compotes; illis enim quandoque cum *Regibus* & Regionibus res est; ac proinde, ut onus illorum gravius est, ita honor illis grandior debetur. In aliis fungendis officiis, non opus est ut res clanculùm gerantur; at silentium & taciturnitas anima est *Legationis*; ut quispiam dixerit, *Si pileum meum esset privatorum mandatorum meorum conscium, in focum conjicerem ustulandum.* Et ut summum hoc negotium honorificum est, ita magnus

magnus honor est ejus comes. Itaq; scitum est quod vulgò dicitur, *Qui amittit pilum unum honoris sui Domini, dignus est qui domum reversus, totum suum caput amittat.*

Unum est palmarium sive præcipuum *Legati* officium, nempe à mandatis sibi traditis ne latum quidem unguem discedere, & Domini sui mandatis religiosè obsequi; & hac in parte *Legatus Statarius Extraordinario* multò tutior est, cui multa negotia demandantur, quæ peragenda sunt pro re nata, sive prout res tulerit. *Besoldus* hanc officii, quod ad *Legatum* spectat, definitionem tradit, sc. *Ut Mandatum fideliter, & cum dexteritate exsequatur, & acceptum responsum diligentissimè notatum referat mittenti.* Est etiam *Definitio Legati* contractior, *Officium Legati est, ut Legationis mandata diligenter conficiat, & ex fide.* Etenim à mandatis suis omnis ejus potestas manat; quæ si ademeris, cessat *Legatio*. *Athenienses* igitur Legatos suos morte multârunt, ideo tantùm, quòd in uno negotio peragendo, propriis suis usi sunt Consiliis, licèt in aliis omnibus rectè fecissent.

Varia extant exempla *Legatorum* qui extra commissionis suæ gyrum vagati, per imprudentiam delinquentes, temeritatis suæ, nullâ interjectâ morâ, pœnas dederunt. *Hector Boetius* memorat *Scotorum Legatos* fuisse ab *Olao* & *Eveto* interemptos. Meminit *Polybius Legati Romani* a *Teuca Sclavoniæ Regina* interfecti. *Athenienses* in mandatis dederant, ut *Legati Darii* in puteum dejicerentur. *Dandalo Legatus Venetus à Siciliæ* Rege exoculatus est. Deveniamus autem ad re-

recentiora tempora : *Franciſus* Rex *Gallicus* ejus nominis primus, miſerat ad *Turcam Legatos Fregoſam* & *Rinionem*, qui a militibus *Caroli quinti* deprehenſi & intercepti, in *Italia* contrucidati ſunt ; & huic illorum facinori *Imperator* ipſe patrocinatus eſt, ideo, quòd utrique eſſent ejus ſubditi ; hic enim *Genoenſis* erat ; Ille *Mediolanenſis*, & ejus hoſti gratificari ſtuduerunt. Tunc enim temporis, *Franciſcus* & *Carolus*, bellum ſibi mutuò intuliſſent.

Edvardus Angliæ Rex ejus nominis *Secundus*, *Generoſum* quendam natione *Gallum* in *Galliam Legatum miſerat*, qui, quòd ejus hoſti ſe addixerat, pœnam *Regi* dediſſet in *Gallia*, proditoribus irrogari ſolitam, niſi deprecatio *Reginæ* interveniſſet.

Anno 1302 *Papa Legatum* miſerat in *Galliam*, ubi proditionem aliquantillam molitus eſt ; cumque fuiſſet iſtius nefandi criminis poſtulatus, & peractus reus, & morti adjudicatus, qui bene *Papæ* cupiebant, precibus conſecuti ſunt, ut non aliter quàm exſilio multaretur. *Veneti Legatos Gallicos* ex propriis ſuis ædibus per vim extraxerant, propterea quòd illorum conſulta eliminâſſent, & quidem in aurem *Turcæ* inſuſurrâſſent. Et quoniam iſti primo aggreſſu Venetis obluctabantur, idcirco viſum eſt illis jubere ut aliquot Tormenta bellica grandiora parietibus admoverentur, quibus adductis & admotis, vel inviti tandem dedere manus ; neque factum hoc *Rex Gallicus* moleſtè tulit.

In his poſtremis exemplis, *Legati* per imprudentiam ſuam, & propter res ab ipſis malè geſtas,

hæc

hæc incommoda sibi invexerunt. Huic narrationi exemplum nuperum subjiciam, quod accidit hic in *Anglia An.* 1624. quo tempore duo *Hispanici Legati Londini* commorabantur, *viz. Marchio* de *Inojosa* & *don Carlos Coloma*; & *Walliæ Principe Madrico* nuper reverso, Re infectâ, omnique de *Infanta* potiunda spe præcisâ, dissidium inter *Angliam & Hispaniam* oriri cœperat, propterea quòd, ex *Parlamenti* decreto (*Ducis Buckingamiæ operâ*) tractatus sive colloquium de *Matrimonii Fœdere* ineundo, & de *Palatinatu restituendo*, factum esset irritum. Hæc cum isti *Legati* comperissent, consilium inierunt quâ ratione possent *Ducem* eradicare & pessundare. Tandem illi secum reputantes *Jacobum Regem* esse jam ætate provectiorem, nec difficile esse Zelotypiam & metum illi incutere, & hoc propter innuebant illi (remotis tamen arbitris) ingens discrimen ejus capiti, ejusq; *Regiæ Autoritati* imminere, ipsique adeo insidias strui à *Duce Buckingamiæ*, & ab aliis cum illo fœderatis, id quod erat hujusmodi. Somniâ unt nonnulli sub initium istius Parlamenti, præfatum *Ducem* cum aliis quibusdam Regni proceribus, agitâsse consilia, quo modo Colloquium sive tractatum de prædictis *Nuptiis*, & de *restitutione Palatinatus* tolleretur; quòd si *Majestas* ejus renueret, nec illorum voluntati sese attemperaret, statuebant (quæ fuit illorum projecta audacia) illi *Domicilium* adornare, in quod voluptatis ergò nunquamnon se reciperet; eò quòd *Princeps* nunc esset *adultus*, iisq; dotibus instructus, quæ administrationi *Regni* sufficerent. *Rex* in præsens illos dimiserat, sed onustos

gratiis.

gratiis. Postridie verò, majorem in modum ab illis contenderat, ut, conjuratione jam detectâ, conjuratorum etiam nomina non reticerent; ut, veritate prolatâ, ipsorum honori meliùs consuleretur. Ad hoc responderant, se satis superque jam detexisse, ad fidem faciendam, quanti *personam Regiam*, ejusque *Dignitatem* æstimarent. Quæ cùm ita essent, imperavit *Rex*, ut *Dux Buckingamiæ* cum aliis suspectioris fidei, ad juramenta sua adigerentur; id quod factum est, omnesque jurârunt, & unusquisque illorum se a suspicione objecti criminis exemit.

Hoc peracto, *Rex* jam denuo eosdem *Legatos* reiteratis, instantissimis, & urgentissimis adhortationibus aggressus est, ut, præ salute *Personæ Regiæ* vili penderent, & flocci facerent indicationem nominum conjuratorum; ut à veritate starent, & ut existimationi suæ consultum irent, & ut nihil timerent censeri & perhiberi *Autores* & *Proditores* machinationis, in qua tanta inerat malitia, seditio, & discrimen; sed illi tam muti erant quàm pisces.

Attamen post aliquot dies *Audientiam* novam expetiverant, sed non fuerunt tunc temporis voti compotes; quippe *Rex* illam in aliud tempus rejecerat; at interea miserat *Dominum Edvardum Conway* qui in primo loco à *secretis* illi tunc erat; & *Dominum Franciscum Cottingtonum à secretis Principi* (uterque postea Barones) ut *Legatos Hispanicos* certiores facerent, se nihil ardentiùs cupere, quàm ut reciprocus amor inter duas coronas perennaret; Ergo si quid dicendum haberent, jam nunc in secretariorum suorum spectatæ fidei sinum effun-

effunderent; in hunc enim finem solum, hoc negotium est illis datum. Et si hoc facere detrectarent, liberum esset illis è *Concilio Regni*, sibi, arbitratu suo, deligere quoscunque vellent, & quos potissimùm probarent; & ipse(*Rex*) juberet, ut illos illico convenirent; & si hoc etiam difficile videretur, possent tamen per Epistolam significare, quid in animo agitent, & quid velint, & eandem illi reddendam curare per fidissimum nuncium, non aliis, quàm propriis suis manibus, accipiendam. Sed ad hæc nihil omnino responderunt. Ac proinde qui *Regi* erant *à secretis*, dixerant illis (prout erant à *Rege* moniti) *viz.* proptereaquod, illi *Autores* fuissent *Delationis* tam periculosæ, & ad seditionem & vastitatem spectantis, fecissent se inidoneos ad agendum cum *Rege Domino* suo ampliùs.

Et nisi charissimum & dilectissimum fratrem suum *Regem Catholicum* illorum *Dominum* unicè amaret, & quia tantæ *Majestatis* sunt *Legati*; & vellet, & posset, illos, jure Gentium, & jure suo Regio, pro illorum merito, inclementiùs tractare; Sed ob prædictas causas visum est *Regi*, ut hæc injuria vindicaretur, illos proprii sui *Regis* justitiæ addicere, & ut fieret justitia, *Jacobus Rex* exspectaret & à *Domino* eorum exigeret. Et non ita multò post, *Dominus Gualterus Ashtonus* tunc temporis in *Hispania* pro Regno *Angliæ Legatus Statarius*, apud *Regem* illum orationem habuit, quâ dixit, *Dominum suum Magnæ Britanniæ Regem* dedisse ipsi in mandatis, 'Ut *Marchio* de *Inojosa*, & *Don Carlos Coloma* pœnas luerent, ideo quòd *Ducem Buckingamiæ*, (& alios etiam optimos

mos & primarios suos *subditos*, conjurationis falsò insimulâssent, & per illorum latera *Principem* Ipsum vulnerâssent. Non est enim Verisimile *Ducem* tam truculentum, & immane facinus perpetrare voluisse, planè inscio & invito *Principe*. Atque ita totam istius negotii historiam narravit; & sub finem ejusdem, *Majestatem* ejus modestè obsecravit, ut animadverteret, & pensitaret, quàm benevolâ solicitudine & lenitate *Rex Dominus* suus, *Majestatis* ejus *Legatos* tractâsset, nec præcipites illos egisset ad ineunda nescio quæ Consilia; sed satis temporis illis indulsisset, & aperuisset viam, quâ potuissent se a tam tetro crimine liberare.

Non est dubitatum, quin iidem *Legati* in *Hispaniam* reversi, dedissent pœnas, aut censuram minimùm subjissent: sed rebus inter *Angliam & Hispaniam* in deterius vergentibus, iidem *Legati* in Patriam suam reversi, tantum abest ut pœnas dederint, ut potiùs *Brabeia* & præmia acceperint; nedum puniti fuerint, aut etiam reprehensi. Etenim, *Inojosa brevi* factus est *Mediolani Gubernator*; & *Coloma*, in *Flandria*, præfecturâ, & honoribus auctus est.

Atqui verò fama de humanitate *Anglorum* erga præfatos istos *Legatos* ad exteras gentes permanavit, & applausu excepta est, ideo quòd passi sint nefarios istos homines impunè discedere, post tantum scelus, non solùm in Ducem *Buck.* sed etiam in Ipsum Principem, & in Aulam Regiam admissum. Immo *Dominus Ludovicus Lenknerus* missus est ut viam illis ad navem præiret, ne forte-an Populi furor & impotentioris animi vulgus in illos grassaretur.

In

In hac narratione ideo diutiùs immorati sumus, quòd tot in se obliquationes, & anfractus contineat, & machinamentum tanto dolo & astutiâ fabricatum; quo de fusiùs Author egit in Additamentis quæ *Fineti Legato* attexuit. Atqui verò, quia tam est huic Paragrapho consona, visum est illi, summam ejusdem hîc intexere. Nunc demum ea, quæ ad officium *Legati* spectant, de integro attingemus. Peropus est, ut habeat literas Fiduciarias, perspicuas illas, & examussim scriptas; ut ejus *Commissio* sit plenâ Autoritate corroborata, nempe, quoad ejus fieri possit. Cùm *Princeps Walliæ* esset in Hispania, Ministri *Hispanici, Ducis Buckingamiæ Commissionem* ita elevarunt (ille enim *Legati* personam adumbravit) ut palam dixerint, illam non fuisse æquè perfectam & Authenticam, atque illa fuerit *Comitis Bristolliæ*; Comes enim habuit suam *Diplomate Regio*, sive *magno Angliæ Sigillo* ratam & communitam; *Dux* verò suam privatò.

Ambigitur à *Jurisconsultis*, *utrum, si à Legato Mandata deposcantur, is Jure adigi possit ad ea exhibenda?* Censent illi non teneri quicquam ostendere, præter *Literas* suas *Fiduciarias*, & *Generalem* suam *Commissionem*; ejus autem Arcana quod attinet, *Paschalius* ait, *Mala eum agitat res qui in Legati secreta irreligiosè irrumpit.* Quæritur deinceps, An æquum sit, aut honestum *Legato* Dona accipere à *Principe* ad quem mittitur? quæ à Jurisperitis appellantur *Lautia*. Quod vocabulum est *Legatorum* proprium, i. e. propriè & peculiariter spectat ad *Legatos*. Nonnulli, (ut *Hollandi*) tuentur partem negativam;

Illorum

Illorum enim *Legati* nihil prorsus accipiunt, ne tantulum quidem vini, quantulum obbam impleverit; plures autem Affirmativæ patrocinantur. At *Veneti* (qui censentur rerum & consuetudinum ad Legatos spectantium, esse scientissimi, necnon in iisdem versatissimi) etsi minimè refragentur, tenentur tamen illorum *Legati* sua *Senatui* exhibere *Lautia*, sive munera; quin & nonnulli arbitrantur potissimam partem *Thesauri* in *Divi Marci* reconditi, ex his constare. Iidem tenentur etiam narrare oratione bene longâ (præter ea quæ sunt Legationis propria) quid eximium & singulare, in Regionis istius statu & regimine deprehenderint, in qua versati sunt. Cujus orationis *exemplū* manu suâ exaratum, secum afferre debent, in *Archivis* reponendum. *Joannes Bristolliæ Comes*, sub discessum ejus *Madrico* (etsi tunc temporis Cœlum inter *Angliam* & *Hispaniam* cœperat esse vultuosum & nubilum) donatus est ab hoc *Hispaniarum* Rege, Abaco Argenti Cœlati solidi & ponderosi, Aureorum viginti millibus æstimato; & etiam *Adamante* de digito ejus detracto, qui quingentas suprà mille libras monetæ Anglicæ valuisse existimabatur, ideo, quòd animadvertisset eum tam cordatè, tamque solerter, & fideliter expediendis *Regis* sui negotiis operam navâsse.

Quærunt insuper Juris civilis periti, si *Legatus* uxorem suam, & Liberos secum adduceret, nunquid in officio suo fungendo identidem interpellaretur. Qui refragantur, exploduntur magis, quàm probantur. Quisquis enim uxorem suam secum non adducit, dimidium sui post se relinquit.

Præterea, solatiis illis destituitur, quæ societas conjugalis affert, quibus, supra alia quæcunque, palma datur. Periò, qui uxorem suam secum adduxerit, molestiam, scribendi literas, & literarum impensas evitabit, quæ intra 12 menses in grandem summam excrescerent.

Huic autem *Paragrapho* Colophonem addam, ubi duo magni momenti consilia superaddidero, quibus *Legatus* in munere suo exsequendo uti debet. Requiritur *primùm*, ut sit summè taciturnus, nec secretorum suorum vel tantillum effutiat; multoque majorem curam adhibere debet, ut ne sit rimarum plenus. Et hac in parte, *Itali* & *Hispani*, præter cæteros, imitandi sunt, qui fauces suas ita coarctant & occludunt, ut universa materia medica qua ex *Ægypto* advehitur, ad secreta ex illorum pulmonibus revellenda non suffecerit; quæ tamen ex aliis vel leve aliquod Catharticum dejecerit, vel emeticum excusserit.

Deinde, (ut partes suas citra molestiam & solicitudinem exsequatur) expedit, ut *Aulam* & *Regionem*) ac quam mittitur, præcognoscat, & ut *Linguam* earundem calleat. Turpe enim & dedecorosum est, cùm quis mittitur Legatus ad mores hominum inspiciendos, tunc primulùm Regionis Linguæ vernaculæ ediscendæ operam dare.

Denique, *Legati* nihil magis interest (quod superiùs attigimus) quàm esse *mandatorum* Domini sui tenacem, iisdemque adhærescere. Verum est illud *Bruni* Dictum, *Qui extra Mandatum agit, aliud agit.* Et tamen necesse est, ut aliquammulta *Legato* plenipotentiario, pro re nata, conficienda permittantur. Ac proinde (si commemini)

ex

ex 12 *Tabb. Romæ*, amplissima potestas erat *Legatis* delata; *Quæ bonum Patriæ eminenter tangunt, etiamsi non mandentur, agunto.* Quinetiam, maximè expedit, ut Legatus sit disertus, & flexanimo quodam eloquio potens; & ut is sit, qui possit non solùm utcunque *suadere*, verum etiam *persuadere*, siquando res aliqua apprimè necessaria ejus operam efflagitet.

Paragraphus Octavus

Agit de Legibus Angliæ ad Legatorum Receptionem spectantibus, deque illorum Audientia (quam vocant) & quo modo excipiantur & quibus [Lautiis] donentur, & quà prudentia lis inter illos orta de Præcedentia, dirempta fuerit, &c.

HActenus de rebus ad *Legatos* pertinentibus, & de *Legationis* Privilegiis generatim loquuti, nunc particulatim introspiciemus *communes Angliæ* Leges quæ non immeritò dicantur civiles, utpote quæ sint illis hac in parte consentaneæ.

Ex Legibus Angliæ, ut magnus ille Legum Mystes *Cokus* ait, *Honor Legati honor mittentis est.* Sed est & alterum Juris ἀξίωμα sive effatum, viz. *Legati sive Proregis dedecus, redundat in Regem.* Et certè ex Jure Communi *Angliæ*, siquis *Legatum* occiderit, reus est Læsæ Majestatis.

Exempla hujus & Flagitii & supplicii, fuere olim *Joannes Kerbie* & *Joannes Algor*; Quorum ille propô'a fuit; hic Aromatarius Londinensis; uterque vocatus est in jus, uterque peractus estr eus, & morti adjudicatus, uterque suspensus, sive (ut ille lepidè) uterque factus est *Litera longa*; ideo nempe, quòd *Joannem Imperialem Legatum Genoensem* trucidassent, cui *Rex* per Diploma suum omnium mercium *Monopolium*, quæ ab Orientali Plaga *Londinum* importantur, asseruisset. Porro, *Joannes Hill* peractus etiam est Læsæ majestatis reus, ideo quòd *A. Waltonum* Legatum occidisset. Quinetiam, operæ pretium est animadvertere, quantâ mansuetudine *Jacobus Rex Marchionem de Inojosa*, & *Don Carlos de Coloma Legatos* ab *Hispania* missos, tractârit, & impunes dimiserit, sontes licèt, & scelerum conscios & exitium machinatos, non solummodo in *Ducem Buckingamia* (proximo Paragrapho commemoratum) sed etiam in Ipsum *Wallia Principem*, filium ejus unicum, & proximum hæredem Britanniarum.

Et ut Leges *Angliæ* solicitæ sunt de *Legatorum* incolumitate, ita illi curæ est Legatos suos mittere Politicis *Commissionibus* & *Mandatis* æquè instructos, atq; sunt *Legati* aliorũ Regũ usquam gentiũ.

Non abs re fuerit, si quod de nostratibus asserimus, illud etiam exemplis illustremus. Duo tantùm expromam, alterum antiquum, recentius alterum. Primum est *Legatorum* qui ad *Concilium Basiliense* missi sunt; & sic se habet.

" Ad Concilium Basiliense sub Eugenio Papa
" destinati sunt per Regem Ambasciatores, &
" Oratores Episcopus Robertus London. Philippus
" Exoni-

" Exonienſis, Johannes Roffenſis; Johannes
" Bajocens, Edwardus Comes Moriton; Abbas
" Glaſtoneenſis, & B. M. Eboracenſis; Prior
" Norwici; Henricus Bromflet miles Dominus
" Veſciæ; Thomas Browne Legum Doctor, De-
" canus Sarum, Johannes Coleville Miles, &
" alii. Dantes & damus iis, & Ipſorum majori
" parti proteſtatem, & Mandatum tam generale
" quàm ſpeciale nomine noſtro, & pro nobis in
" eodem Concilio intereſſendi, tractandi, com-
" municandi & concludendi tam de iis quæ Refor-
" mationem Eccleſiæ Univerſalis tam in Capite,
" & in Membris, quàm in iis quæ Fidei Orthodoxæ
" fulcimentum, Regumque ac Principum Pacifica-
" tionem concernere poterint. Nec non de &
" ſuper Pace perpetua, guerrarumque abſtinentia
" inter nos, & Carolum adverſarium noſtrum
" de Francia; ac etiam tractandi, communicandi,
" & appunctandi, conſentiendi inſuper, & ſi opus
" fuerit diſſentiendi iis quæ juxta deliberationem
" dicti Concilii initi ſtatui, & ordinari contigerit.
" Promittentes & promittimus bona fide nos ra-
" tum, gratum, & firmum perpetuò habiturum to-
" tum, & quicquid per dictos Ambaſciatores, Ora-
" tores, & Procuratores noſtros aut Majorem
" partem Eorundem actum, factum, ceu geſtum
" fuerit in præmiſſis, & ſingulis præmiſſorum. Et
" Hoc idem cùm de, & ſuper iis certiorati fueri-
" mus ad Nos, & Chriſtianum Principem attinet
" executioni debitæ curabimus demandari. In cu-
" jus rei teſtimonium has Literas noſtras fieri fe-
" cimus Patentes. Datum ſub ſigillo noſtro Mag-
" no in Palatio noſtro Weſtmonaſterienſi, x die
" *Julii*, &c.

Ad hoc etiam *Concilium* profectus est *Henricus Beaufort Filius Joannis Gandavensis*, *Episcopus verò Wintoniensis*, & *Cardinalis Sancti Eusebii*, cui concessa est licentia deportandi viginti librarum millia monetæ aureæ & argenteæ quæ temporibus istis constituebant grandem pecuniarum cumulum. Hæc autem pecunia (si fides adhibenda sit historiæ) erat sine loquela Legatrix flexanima.

Secundum exemplum erit honoratissimus *Dominus Robertus Sidnæus* hodie *Leicestriæ comes*, qui in *Dania*, & in *Germania* Legationem extraordinariam obiit, cujus *Mandata* fuerunt hæc quæ sequuntur.

CAROLUS R.

Mandata pro fidissimo, dilectissimoquè nostro Cognato *Roberto Comite Leicestriæ*, *Barone* de *Sulnia*, & *Legato* nostro ad charissimum nostrum *Avunculum Christianum* quartum *Daniæ* Regem.

Præfecimus Te, ante alios, huic Honorabili Negotio, propterea quòd animadvertimus Te semper fuisse assiduum Virtutis cultorem, & nobilibus & honorificis Actionibus te nunquam non assuevisse; & velimus, ut omnibus innotescat, nos non probare honoris titulos in illos collatos, qui in latebras se abdunt, & in vitia se ingurgitant; sed illos duntaxat, qui existimationem suam augent & illustrant, dum id agunt, ut in Bello, & in pace, Reipublicæ inserviant; unde vera & Germana nobilitas, supra vulgus, & fœcem *Populi*, assurgit. Mittimus te ad *Magnum Regum*, quem

quem & honore & amore prosequimur, non solummodo propter Dignitatem Regiam, & necessitudinem illam quæ illi mecum intercedit, sed etiam ob illam cognationis propinquitatem quâ me attingit.

Nuncii tui pars prima, ceremoniam in se complectitur, quæ congrua est amori mutuo & reciprocis Principum officiis; ut significetur quanto dolore afficiantur ob fatalem amicorum fragilitatem suorum. Quod negotium magnatum opera commodissimè expeditur, qui à generosa sua indole istiusmodi rebus tanguntur. Summa verò *Legationis* Tuæ huc redit, nempe, ut pax publica stabiliatur, & ut Fratris mei *Comitis Palatini* emolumentum curetur, à quo pendet etiam carissimæ sororis nostræ incolumitas.

Ad hoc ingens opus promovendum, quam primùm poteris fac ut parentur omnia itineri Tuo accommoda; deinde mare transmittas conscensâ navi in hunc usum comparatâ, nempe ut ad portum vulgò dictum, Orisundam, vel ad *Albim fluvium* te devehat; uti in transitu certior fies, ubi *Rex Avunculus* noster nunc temporis commoretur. Ubi appuleris, facito, ut adventus innotescat tuus Aulicis, ut eo scil. honore recipiare, qui *Legato* tui Ordinis debetur.

Postea, ubi ad Aulam veneris, Tu nostro nomine *Audientiam* deposces, & de accessu tuo præstolabere Regis voluntatem; sed neminem adibis alium, dum ille, ad quem mitteris, præsentiæ suæ honore fuerit te dignatus.

Sub primam *Audientiam, literas nostras fiduciarias Avunculo* nostro reddes; deinde, quàm diligentissimè significabis, quàm ardenti amore, ab intima amicitia nostra profecto, & crebris benevolentiæ officiis, illum complectamur, & quàm molestè & graviter unà cum Illo feramus *Aviæ* nostræ charissimæ, nuperæ *Reginæ Matris* obitum; cujus memoria non sine grandi aliquo elogio recolenda est, & meritis laudibus ornanda, prout narratio de ejus vita & morte, & tuum ipsius judicium te docebit.

Hoc officio apud *Regem* defunctus (de nulla re aliâ (tunc temporis) mentione factâ) *Principem* ipsum, si tum præstò sit, aggrediere; vel etiam per privatam *Audientiam*; & *Literas* nostras *Fiduciarias*, consimiliter illi reddes, eumque certiorem facies, nos itidem deflere mortem tantæ Heroïnæ, & quàm efflictim Illum amemus, utpote cognatum, cui omnia felicia precamur, nec expetimus quicquam magis, quàm ut arctissimo amoris vinculo nos invicem ferruminemur.

Literas autem nostras amitis nostris *Regis* Sororibus missas reddes postea; & illarum utri velis, dicito, quàm ardenter illas amemus, & quantus mœror, ob nuperam *Reginæ* mortem, nos absorpserit: & si alii cognati nostri ibidem sint, itidem illis omnia dicas, & erga illos perinde te geras.

Dum huic *Ceremoniæ* præstandæ das operam, *Averinm* & convenies, & consules qui res nostras *Hamburgæ* curat, & etiam pro *Sorore* nostra *Commissionarius* electus est. Quæres insuper, in cujus manus devenerit illa Rei familiaris *Pars*, quam reliquit *avia* nostra, quæque mihi jure optimo debetur,

betur, ut patet ex *Avunculi* nostri literis tibi jam nunc reddendis. Quam *partem*, quanta quanta sit, sorori nostræ indulsimus, & *Commissionariis* potestatem fecimus, ad eandem, præstituto tempore, exigendam. Et, si modò, ex voto & sententia *sororis* nostræ præstiterint (uti *Literæ* nostræ priores, in ejus gratiam missæ, innuebant) illud imprimis animadvertes, & Avunculo nostro gratias ages quantas potes maximas, quòd hoc negotium tanta cum celeritate & non inexspectata benevolentiâ expediverit. Atqui verò si recusare occeperit, aut si cunctatior sit ad ejusmodi æs, nostris demendum, de quo alienum tractatibus in prioribus & colloquiis egimus; & quod per ultimas ejus literas *Avunculus* noster exigit; certiorem illum facies, nos, antequam istæ literæ redderentur, quæ ejusmodi æs alienum compensatum memorant; nos (inquam) per instrumentum dedisse *Sorori* nostræ, jus omne nostrum ad illa *Bona*; & etiam *Commissionariis* astipulati sumus, ut *Divisio* eorumdem fieret, illis ipsis præsentibus. Ac proinde, spe ducimur *Avunculum nostrum* ex benignitate sua & Regali justitia, erga *sororem* nostram, ejusque *Neptem*, & numerosam ejus familiam, auxilio destitutam, sublevaturum, & nolle miseriam miseriæ accumulare, & salem (quod aiunt) nitro adspergere; quin potiùs promptitudine suâ opitulaturum illis, dono hoc nostro perspecto, quod non possumus ullo modo rescindere aut revocare; quòd si verba mea apud illum non valeant, tum verecundè rogabis eum ut edicere velit, quodnam sit illud æs alienum nondum solutum. Et ut res unicuique luculenter appareat, hoc

hoc instituendum est discrimen. Æs alienum quod Avunculus noster sibi vendicat, non est unius generis, & totum illud quicquid sit, à Patre nostro (τῷ μακαρίτῃ) minimè verò à nobis, est contractum.

Primùm, *Patris nostri Majestas* (postquam *Avunculus* noster *Bello Germanico* sese immiscuisset) misit per *D. Robertum Anstrutherum* quadraginta & sex librarum millia numeratæ pecuniæ, præ manu; & promisit etiam, se singulis mensibus soluturum triginta librarum millia, modò *Avunculus* noster exercitum aleret, qui contineret in se mille equites, & quatuor peditum millia, ut per hasce copias, *Frater* noster & nostra *soror* ad avitas suas opes, & *Dignitates* restituerentur. Quòd si Avunculus noster dixerit, hoc æs alienum illud esse, quod apud se statuit de *Bonis* distributis demere & resecare; tum modestè (& quasi invitò) illi in memoriam rediges, quid ab illo fuerit præstitum; & quàm lentos progressus habuerint illi molimina, ad quæ promovenda (ut Regium amorem suum testatum faceret) tantam pecuniarum vim Patris nostri Majestas se largituram est pollicita. Et hoc eò nos impulit, ut *Buckingamiæ Ducem*, & *Hollandiæ comitem Hagam* miserimus, ad *Avunculi* nostri *Legatos* ibidem conveniendos, & ad confusas istas assumptiones moderandas, factas *de bene esse*, in præsens, sine disceptatione de *Articulis* utrinq; æquis. Deinde (ut *Avunculus* noster probè novit) fecimus subductam rationem, altero niti fundamento; ac proinde revocandi non sumus ad ista Postulata, quæ tantopere modum excedunt, & quasi extra orbitam vagantur; quæ tamen (si instituatur justæ pecuniæ numeratæ subductio, & si eroga-

erogationes & impensæ in copias nostras auxiliares, & diversiones expendantur) in tantum superavimus, ut (semotâ lite de conditionibus nondum præstitis) retributionem, nec injuria exposcere possimus; aut saltem gratam debitamque benevolentiæ nostræ agnitionem; nedum, redhostimenti loco, ad æris alieni solutionem adigendi sumus. Dominus *Henricus Vanus* Averio grandis Expensi codicem transmisit, cujus exemplo tibi nunc tradendo uti poteris, ut isto ære alieno exoneremur, quod videtur nobis incumbere.

Sed & aliud est æs alienum ob pecuniam à Patre nostro conductam, cujus & *summam* & *usuram* agnoscimus, & ut liquidò constet ratio, *Legatum* nostrum *D. Hen. Vanum* non ita pridem monuimus; qui ex *Germania* reversus, ministros *Regis Hagæ Comitis* aggredietur, & rationem inibit, ut omnia *Avunculo* nostro cedant ex animi sui sententia, & pariter ex voto nostro. Hoc congressu (si aliter nequeas) teipsum liberabis; & ubi statutum fuerit de divisione *partis bonorum*, & hoc modo computum absolveris, postea opportunitatem nactus, ad negotiationem communis causæ, quæ est majoris momenti, perrexeris, præsentem *Christiani Orbis* statum *Avunculo* nostro exhibens & representans, Maximè verò *Germaniæ*, communis Bellorum Theatri, ut re maturè & seriò deliberatâ, optimum ineamus Consilium, quomodo res nostræ gerantur, non minùs in incolumitatem propriam, quàm ad jus nostrum tutandum, quod nobis cum aliis intercedit, præcipuè verò ut in *Bonum publicum* firmam pacem indipiscamur. In hunc finem, ages cum illo, ut secum reputet *Sue-*

cia Regem (Vicinum suum) præter omnium opinionem, stricto gladio, in ipsa propemodum Imperii Viscera penetrâsse; & ut pro insigni sua sapientia & sagacitate præspeculari velit, quæ Catastrophe sit futurus, si penes illum victorem fuerit *Principibus* & *Dynastis*, arbitratu suo, leges imponere; id quod pertimescendum est, nisi aliqua ineatur ratio, quâ (putà vel Colloquio, vel aliquo alio modo) impendens periculum mature declinetur.

Deinde, ex altera parte, ponas ob oculos ejus, *Austriacam Familiam* esse etiamnum præpotentem, cum qua etiam fœderata est Bavaria, & alii complusculi *Germaniæ Principes*; & utramq; partem habere pro adminiculis suis auxiliatores Exteros; illi nummo & nutu *Hispaniæ* suffulciuntur; *Hi Galliæ* copiis quasi in procinctu stantibus, & ad pugnam paratis; His adjicias *Hollandiæ*, & *Italiæ* diversiones. Adeo ut verisimile sit, bellum in longum productum iri, & lancem eò se inclinaturam, quò *Principes* propendere velint.

Et quoniam *Rex Sueciæ* Propinquos, & Affines sibi, & complures alios solicitat de ineundo fœdere ad libertatem *Germaniæ* asserendam, & ad *Pacem* instaurandam, & nos etiam ad partes ejus evocat; & quoniam *Imperator* etiam, desiderium *pacis*, & *Colloquii* præ se fert; ut res rectiùs intelligamus, *Avunculus* noster est a te consulendus, & exorandus, ut nos certiores faciat, ad quas partes se flectat, & an ejusmodi tractatui sive *Colloquio* se interfuturum stipulatus fuerit, & quibuscum, & quousque; & an suffragium nostrum cum aliorum consensu expetatur. Et rogandus

est,

eſt, ut indicet, cui potiſſimùm, ex ejus conſilio, adhæreſcamus, ut per iſtud *Colloquium*, *Frater* noſter, *Sororque* noſtra, ad Patrimonii ſui jura & *bona* ex aſſe, cum Dignitatibus ſuis, reſtituantur (quod ſtipulationis noſtræ futuræ caput eſt) & ut omnia fiant ex ſententia & voto noſtro. Quòd ſi ex his ſubindiciis noſtris *Rex* patefaciet vobis, *Colloquium* ſive *tractatum* jam nunc inſtitui, & in eo conſenſum noſtrū efflagitari, ſingula nobis actutum ſignificabis, & rationem ſingulorum, unà cum omnibus *Perſonarum*, *Temporum*, & *Locorum* circumſtantiis, ut hoc pacto, majorem tibi poteſtatem faciamus, & idoneis te conſiliis inſtruamus, ut negotia noſtra cum *Avunculo noſtro*, & cum aliis quibuſcunque *Principibus*, ſic tranſigas, prout Concilio noſtro commodiſſimum cenſebitur.

Præterea, ubi hoc ingens negotium tranſegeris, fortean, ad commodum noſtrum promovendum, alias etiam occaſiones arripere poteris; etenim ſi ex colloquio cum *Averio* habito perſpexeris, *Mercatorum* noſtrorum commercium *Hamburgæ* commorantium, impediri, propter ſimultatem aliquam inter oppidum & *Regem illum* ortam; vel ideo quòd Rex obtendat flumen Albim ſuo ſolius ſubjici imperio; tu, meo nomine proxenetam ſive conciliatorem ages inter *Avunlum* noſtrum & *oppidum*, ad offenſas amoliendas, & ad ineundum amicitiæ fœdus (*Regi* tamen honorificum) nequa Innovatio, ſive veterum conſuetudinum immutatio ſubſequatur, quâ *Colloquium* inſtitutum præpediatur; vel etiam libera ſubditorum noſtrorum *Mercatura* ibidem inhibeatur.

atur, cujus multos jam annos fuere compotes. Et quandoquidem *Polonia* & *Suecia* belligerantur inter se, & mutuis vulneribus se confodiunt, ansam præbuerunt ad nova vectigalia irroganda in *Pelluvio*, & alibi; quibus accedunt etiam alia venditionis & emptionis impedimenta, quæ aliquando, cum *Mercatores* nostros, tum *Batavos* etiam eò adigent, ut *Estlandiæ* mercimonia petant ex *America*; id quod plurimum deminuet de vectigalibus *Regis Elsinoriæ*; has ob causas *Avunculum* nostrum consules, & cum eo ages de veteri negotiationis libertate, & quâ ratione consimiliter in integrum restitui possit.

Islandiam quod attinet, *Avunculum* nostrum certiorem facies, nos *Postulatis* suis, in nuperis ipsius literis perscriptis, nosmet ipsos attemperantes, subditis nostris qui in istis Pelagis Piscaturam exercent, in mandatis dedisse, ut ne accipitres ab istis locis petant, neve (in Firmariorum suorum detrimentum) quicquam mercium, vel inde exportent, vel aliunde importent; minimè dubitantes, quin reciprocæ Benevolentiæ vices, erga subditos nostros, in licitis suis omnibus inceptis, rependerit. De nostro Rubinorum torque quem nuper ad pecuniam conducendam oppigneravit *Averius*, quicum si agas, ille tibi narrabit, quo modo se res habeant, & in eo negotio conficiendo, progrediere, prout à nobis monebere.

Et ut res tulerit, & occasio se ostentârit, *Legatos* nostros & *Agentes*, ubicunque commorantes, per literas identidem affabere, iisque reciprocam familiaritatem præstabis, maximè verò *Domino Henrico Vano*, cui cum *Rege Suecia* negotium

um intercedit, & *Domino Roberto Anstruthero* in *Aula Imperatoris agente*. Joannes Cocus.

Ex hisce duobus *Commissionis* & *Mandatorum* exemplaribus, facilè perspicimus, quàm examussim, concinnè, & accuratè *Aula Anglica*, hac in parte, se expediverit, quàm scitè & aptè *Expeditiones Publicæ* connectantur, neq; tam frigicæ sunt & incultæ, neque tantâ verbositate suffarcinantur, qualem in Aliorum *Principum Mandatis* sæpius animadverti.

Quanto comitatu & prolixa humanitate & sopitis omnibus contentionibus, quàm placido & benigno vultu, *Exterorum Principum Legati* in *Aula Anglicana* recipiantur, jam nunc dicemus, & quantis insuper muneribus cumulentur.

Legati nusquam tam splendicè, tamque magnificè excipiuntur, quàm in *Anglia* sive per Terram deducantur, sive per Aquam.

Primùm enim (satis magno intervallo Londino) *Naviculis Regiis* excepti; in flumine nobili & navigabili, producuntur, & densa malorum sylvâ utrinq; sepiuntur, & in immensæ *Turris* gradus exponuntur, in conspectu pontis tam stupendæ molis, ut non crediderim talem usquam gentium inveniri. Hic illum manet *Rheda Regia* (quam complures aliæ nobilium comitantur) in qua vehitur per meditullium urbis *Londinensis*, ad Ædes singulari curâ paratus (si modò venerit *extraordinarius*) & in illis ad aliquot dies magnificè & opiparis eduliis excipitur impensis *Regiis*. Hæc autem est apud *Aulicos Regula*; *Legatus à Rege missus*, minimùm à Comite *deducitur*; *Lega-*

tus à *Ducibus* aut *Rebuspublicis*, à *Barone*. Est etiam altera Regula, *viz. Nullus Legatus est hoc honore dignandus, in privatis Audientiis* (quas vocant) *sed in prima duntaxat & novissima, iisdemque publicis*; aut quo tempore, ad prandendum cum *Rege* accersitus venit.

Porrò, nullus *Legatus*, excepto *Regio*, non alibi excipiendus est *Rhedâ Regiâ*, quàm ad *Portum Turris Londinensis*. Et quoniam *Rheda* aliorum *Legatorum Londini* commorantium *Legatum* modò appulsum, à portu *Turris* comitari consueverunt, unde ob præcedentiam rhedarum orta est digladiatio, & nonnunquam citra Metaphoram, uti superiore anno contigerat inter Legatum Hispanicum Baronem de *Batteville*, & *Monsieur Lestrade Legatum Gallicum* (qua de re meminimus (idque disertioribus verbis) in *Sectionis primæ Paragrapho* ultimo) idcirco prodiit *Edictum Regium*, sc. debere *Legatos Exterorum* omnes in futurum, comitatem illam mittendi *Rhedas* suas, in eundem finem, omittere. Ne longum faciam, *Legatus* novus hospitio receptus, à melioris notæ viris, ut etiam ab aliis *Legatis*, intervisitur: & inter *Legatos* hoc axiôma obtinet, *viz. Qui novissimus venerat, invisendus est ab eo qui primus venerat: Lautia* quod attinet, sive munera *Legatis* data, nulla usquam *Aula Aulam Anglicanam* superat.

Etenim constitutũ est *Legatos Gallicos* & *Hispanicos*, scilicet statarios, sub discessum suum, debere honorarii loco singulatim accipere quatuor unciarum millia Argenti Cœlati deaurati; *Legatum Venetum*, duo millia; *Archiducis*, mille & sexcentas;

ceñtas; at (*Aulatum* aliarum exemplo) aliquid deminutum est, & resectum; & hanc deminutionem sive defalcationem (si ita loqui liceat) *Monsieur Puiseaux* primus expertus est, regnante *Jacobo*, cui duo duntaxat unciarum millia donata sunt; *Veneto* 1600, *Archiducis* Legato 1000, &c.

De variis *Litigationum* generibus, & altercatiunculis inter *Legatos* oriri solitis de rerum apicibus & punctulis (nequa lis aut rixa cuiquam molestiam facesseret) tam prudenter, nullo non tempore, cautum est in *Aula Anglicana*, quàm in ulla quacunque alia; ut liquet ex illis acutissimi Equitis *Domini Joannis Fineti* observationibus typis excusis & divulgatis, ad quas Lectorem remitto.

Huic autem *Paragrapho* finem imponam, ubi primùm deprehendero, quid Leges *Angliæ* de *Lagatis* sanxerint.

Anno Elizabethæ Reginæ 13, causa *Episcopi Rossensis* in disceptationem venerat, qui tunc temporis hic in *Anglia* pro *Gente Scotica Legationem* obierat; *An Legatus, qui Rebellionem contra Principem, ad quem mittitur Legatus, concitat, Legati Privilegiis gaudeat, an ut hostis pœnis subjaceat?* & ex omnium Judicum sententia, renunciatus est Privilegiorum Legati expers, & ex Lege dignus habitus, qui supplicio afficeretur. Non ita multo pòst, *Mendoza Legatus Hispanicus*, ideo quòd hic rebellioni frigidam offudisset, ex mandato *Reginæ* ablegatus est.

Porrò, ex sententia Domini Coci (qui hac in re cum Juristis serram ducit) *Si Legatus facinus aliquod admiserit contra Jus Gentium, utputa, si*

vel Conjurationis, Furti, vel Adulterii reus sit, Legati privilegium amittit, & aquè puniendus est (nec injuria) atque peregrinus quispiam privatus; nec revocandus est, nisi illius arbitrio & nutu, ad quem missus est. Sin aliquid admiserit adversus consuetudines & *Leges Angliæ municipales* quæ sunt arctioris laciniæ, quod non est in se malum Jure Gentium, non est plectendus. Non stare pactis induciis, nec præstare Deductionem cum Præsidio, olim ex Legibus Angliæ, crimen erat læsæ Majestatis; sed hoc duriusculum statutum a *Hen.* 4. emollitum est. Denique, *Dominus Cocus* in *Institutis* suis asserit, Quencunque, a *Rege* missum & in *Literis* suis *Fiduciariis* tantùm *Agentis* nomine insignitum, nihilo tamen secius esse *Legatum.*

Paragraphus Nonus.

De comitatibus & blanditiis cum Prudentia conjunctis, dictisque sale conditis, quibus complures Legati sunt usi durante negotiationis suæ tempore.

UT Legato ad munus suum obeundum admodum necessaria est *gravitas*, & *Taciturnitas*; ita plurimùm etiam illius interest, esse perinde *Ingeniosum*, atque *prudentem*. Non abs re fuerit sermonibus suis facetias nonnunquam immiscere, & comitatis suæ saccharo, aliquot subinde aceti guttulas adspergere. Argutum est illud *Italorum* diverbium; *Non è saggio chi non sa esser*

pazzo,

puzzo, non sapit qui nescit in loco desipere. Festivæ & accommodæ responsiones sale & lepore conditæ, eædemq; extemporaneæ, magnam produnt ingenii acumen. *Legatus* aliquando missus ad *Regem Morocco* (cujus Leges (ut omnes norunt) porcinæ carnis esum prohibent) dedit illi Literas, in quibus aliquot Honoris Tituli, qui debebantur illi, fuere omissi. Id quod *Rex* animadvertens, in hæc verba erupit, *viz. Sus has literas peperit*; *Legatus* respondit illico, *Immo, ne scilicet vescaris.* Oppidum illud *Agrigentum* (unde *Empedocles* Philosophus, & *Dionysius Tyrannus* suam duxerunt Originem, ut memorat *Herodotus*) quendam *Gallicum* appellatum *Legatum* miserant, hominem vultu *Æsopico* aut *Thersitico*, & immanè quantum deformem, *Centuripam Siciliæ* urbem, in Luto & in loco lacunis interfuso sitam; quem ubi *Centuripini* oculis admirabundis & stupentibus adspexissent, tandem cachinno illum & sannis exceperunt. Ne cui vestrum sit mirum, *Centuripini*, me esse ad vos missum (inquit ille) Cives enim mei mittunt *Legatos*, *pulchros ad urbes pulchras*; *& deformes, ad deformes.*

Don Pedro de Toledo, cùm missus esset *Legatus* ad *Henricum Regem Gallicum* ejus nominis quartum, erant inter illos, in una aliqua privata *Audientia*, multæ obliquæ & anfractuosæ disceptationum rotationes ultro citroque habitæ; cumque *Don Pedro* Monarchiam Hispanicam, ejusque potentiam ad Cœlum laudibus extulisset; *Rex* respondit, *Illam esse veluti Nabuchadnezaris statuam*, ex variorum metallorum membris coagmentatam, pedes tamen illius esse luteos. Ad

hæc verba *Don Pedro* fastu intumescens, Rodomontados aliquot eructavit. Ad quam spumosam hominis insolentiam, *Rex* irâ flagrans, regessit, inquiens, si irritaretur, deportaturum se flammas in *Hispaniam*, ipsi *Escuriali* injiciendas: & siquando equum conscenderet, *Madritum* brevi perventurum. Cui *Don Pedro*; certè *Franciscus Rex Gallicus Madriti* aliquandiu substitit, nempe *Franciscus* ejus nominis *Primus*, qui in *Paviensi* Prælio captus, & in Carcerem conjectus, *Madriti* complures annos & se contrivit. *Rex* autem perrexit *Hispaniarum Regem* increpare, ut principem avaritiæ, ambitionis, & rapacitatis manifestum, ideò quod varias ejus regiones, & nominatim *Regnum Navarræ* per vim occupâsset; at, inquit *Rex*, si mihi vita suppeditet, nullus dubito quin levi brachio recuperari queat: quæ cum *Don Pedro* audisset, hoc reposuit; quâ justitiâ (inquiens) *Rex* Dominus meus *Navarræ Regnum* tot annos possedit, eadem ad tuendum illud, illi non est defutura. Cui *Rex* reiteratâ responsione subjecit, inquiens, valet tua ratio tantisper dum ego pedem meum *Pampelonæ* fixero. Quæ cum *Don Pedro* audisset, subitò surrexit, & videbatur velle ad ostium tendere. Quò tam propere te agis? inquit *Rex*. Nempe *Pampelonam* (inquit ille) ut te eduliorum apparatu, Te digno, inibi excipiam.

Legatus quidam *Gallicus Monsieur de Tilliers* (si commemini) hic in *Anglia* aliquandiu mansit, & cum esset a *Jacobo Rege* ad prandium accersitus, collibitum est Regi suam explicare frontem, & hilarem se præbere, & *Legato* propinare in hæc

verba;

verba; *Rex Galliæ in salutem Regis Francorum propinat.* Cui respondit *Legatus* (nec minùs lepidè) *Le Roy mon Maistre est bon Lieutenant, il tient bien la France de luy*, i. e. Rex Dominus meus est fidissimus vicarius; ille Franciam pro se fortiter asservat. Sed Lepidissimus omnium *Legatorum*, erat *Don Diego de Acunia Gondamari* comes, utqui de argutis & festivis responsionibus nemini unquam concesserit. Præterea, *Jacobi Regis* genium perspectum satis & exploratum habuit (quo, nimirum, regnante, *Legationem* obierat in *Anglia*) qui in acutis & ingeniosis responsionibus, iisdemque subitaneis sive ex tempore fusis, nimiùm quantùm se oblectavit. Et hoc propter, *Legatus* iste vafricie plenus, & Technis suis Politicis, *Regi (Jacobo)* se accommodans, omnia sua seria negotia, *jocosè* & *quasi aliud agens*, ad umbilicum perduxit.

Cum enim *Dominus Gualterus Rawlæus Guianam* classe adiisset, cumque rumor percrebuisset, illum sc. occupâsse *San Toma*, diripuisse locum, & Præfectum ejusdem de medio sustulisse (id quod (ut nonnulli ferunt) commissio ejus minimè patiebatur, quâ nimirum, prohibitus est hostilibus certare armis, *terrâ firma* potitus;) Gondamarus, hæc in animo versans, venit ad Aulam primâ luce, & consecutus veniam unum effari verbulum, altâ voce clamitavit, *Piratas, Piratas, Piratas*; subinnuens, *Dominum Gualterum Rawlæum* esse Prædonem maritimum, sive piraticam exercere. Quæ vociferatio *Rawlæo* malè cessit; caput enim ejus *Jacobus Rex* præcidit, arreptâ occasione a priore noxa propè jam in oblivione sepulta & planè exoleta.

Alio tempore cum idem *Gondamarus* de variis argumentis cum *Rege Gallicè* disseruisset, *Rex* ab eo sciscitatus est, an Latinè sciret, necne. Immo, *Domine*, inquit *Gondamarus*, calleo *Linguam Latinam*. Postea, differentibus illis Latinè, liberè & lepidè, tandem *Gondamarus* (ut fit) perperam & non sine aliqua stribiligine & solœcismo locutus est; *Rex* subridens, inquit, quid est in causa, quòd tu tanti Regis *Legatus*, & in rerum omnium cognitione versatus, quî fit, inquam, quòd *Prisciani* caput toties comminueris & cruentâris? *O Domine*, inquit *Gondamarus*, ego Latinè loquor *more regio*, & Majestas vestra *similiter Legato*.

Comes *Gondamarus* aliquando *Londinum* perreptans, malè acceptus est à fæce vulgi & sceleratorum hominum colluvie, (qui scilicet, *Nicotianæ* tubulos in Lecticam ejus confertim projecerant) & aliis etiam probrosis sermonibus appetitus, venit ad *Aulam Regiam*, *Regemque* convenit, & cum eo privatim Sermones conferens, & de nuperis injuriis à vulgo illatis conquestus, *Sennor!* (inquit ille) *La harina de Ingalatierraes muy delgada, y fina, pero el afrecho es muy grosseno: Domine! Farina Angliæ* (i. e. nobilitas) *valde mollis est, & delicata; furfur autem est admodum crassum, & horridum.*

Aliàs etiam, quando cum Tabellione in Hispaniam ablegando & subitò dimittendo, transigeret, & tunc temporis *Buckingamiæ Comitissa* in *Aula Regia*, præter cæteras Heroinas ibidem agentes, gratiâ floreret, & apud magnates plurimùm posset, & multò plus quàm Dux Filius suus, omnesq; ad *illam* potiùs, quàm ad *Filium* suum petitum

tirum opem convolarent; Epistolæ suæ jam exaratæ & obsignandæ, hoc tamen (additamenti loco) ad *Comitem Olivaresium* appinxit novi, scilicet, jam se spe luculenta duci, *Anglos* fore brevi omnes Papistas; quippe quòd *Matrem* (inquit ille) magis quàm *Filium* orant & adorant.

Quin & altero tempore, *Comes Gondamarus* à *Prælectore Hospitii Graiensis* ad prandium invitatus est, quo ipso tempore *Palsgravius Pragam* venisset, præter *salutes* alias, una propinata est in salutem *Regis Bohemiæ*; ille jucundissimè & exporrectâ fronte spumantem pateram consimiliter hausit, & insuper *Prælectori* & reliquo cœtui gratias egit; etenim (inquit ille) nunquam antea novi *Imperatoris* salutem in *Anglia* propinatam.

Item alio tempore, postquam complures dies Cœlum apparuisset caliginosum & nubilum *Londini*, veredario *Literas* in *Hispaniam* deportandas dederat, & (tradito jam fasciculo) illi abiturienti, & valedicenti in mandatis dedit; Ubi (inquit ille) in *Hispaniam* veneris, dic, amabò, salutem à me *Soli*, quem hìc non memini me vidisse à permultis diebus; Certùm scio, illum illìc tibi occursurum. *Comes Gondamarus* cùm ad Volones conscribendos à *Jacobo Rege* veniam impetrâsset, & etiam in *Flandriam* trajiciendos, sc. ad facienda stipendia sub Imperio Domini *Vauxi* in usum Regis *Hispaniarum*, & comperisset ad ejus classicum milites tardiusculè venire; non ita multò pòst, ad *Aulam Regiam* se contulit, & interrogatus inibi à *Rege*, quot milites conscripsisset; respondit, *Certe, Domine, non possum habere nisi perpaucos mi-*

lites, Duces autem sive Capitaneos innumeros, Item iidem fuerint nudiustertius milites gregarii.

Sed restat adhuc alterum a *Comite Gondamaro* argutè dictum. Hic cum esset ex Anglia discessurus post ultimam ejus *Legationem*, *Rex* ad *Consulem Londinensem* nuncium miserat qui moneret illum de *Comite Gondamaro* ad Prandium invitando, antequam ex *Anglia* in Patriam suam remearet. Id quod *Consul* solenni ritu & magnificè fecit, multosque splendidissimos Aulicos accersivit, qui illi se comites adjungerent. Post alias autem & alias comitates & blandiores compellationes, Consul sic est illum affatus; *Domine Legate*, Excellentia vestra, si quid ego judico, videtur admodum canescere. Immo, *Domine*, inquit ille; sed, *Domine Consul*, Scias velim nos habere in *Hispania* vulgò jactatum proverbium; nempe, *Canos y cuernos non Vienen por annos*, i. e. *Cani & Cornua aliunde veniunt, quam ab annis:* Siquidem multi canescunt etiam in sua florente ætate. Ubi verò discubuissent, *Dominus Consul* in salutem quorundam nobilium propinare cœperat, Tandem *Gondamarus* ipse petit ampullam vitream vino Hispanico repletam, inquiens, *Domine Consul*, tu solus inter omnes totius Orbis magistratus, videre mihi primas consecutus; quippe tu nemini cedis, nisi Regi tuo, & (ut mihi narratum est) tu perinde atque ille, omnium rerum ubertate & copiâ circumfluis. Nunc autem *Nobilissimi Domini* & Tu *Domine Consul* illustrissime, quoniam tot reciprocis poculis nosmetipsos liberalius invitavimus, obsecro ut mihi tam prolixè, tam magnificè, tamque benigno vultu recepto, futere

liceat,

liceat, & præ nimio gaudio (vestra cum venia) penè desipere; veniam igitur ab his illustribus viris, & à Te peto, ut unam aut alteram *salutem* propinem. Prima erit in salutem *Amasiæ* Regis Hispaniarum; omnesque ex ordine responderant; Deinde in alteram ampullam se immersit in salutem, sc. *Uxoris* Regis *Hispaniarum*; id quod ab omnibus itidē responsum est. Tum ille stans erecto corpore, multorum verborum blanditiis gratias egit illis omnibus, inquiens, Nunc aperiam vobis, quænam sint hæ duæ *Heroïnæ*; *India Orientalis* est Regis Domini mei *Amasia*; at *Occidentalis India* est *uxor* ejus; Nemo *Amasiam* suam ita deperit, aut tam efflictim amat, quin, si illa Amico suo gratificetur [χαυδενίζω] connivere velit; id quòd Tu *Domine Consul*, & vos etiam optimi *Senatores*, quos intueor, in *India* Orientali experti estis. Sed *Uxor* Domini mei est, inquam, *Occidentalis India*, quæ jure Gentium, nullum alterum admittit amasium. Ac proinde, *Domine Consul*, & vos nobiles *Senatores*, ne ambite, obsecro, Domini mei *Conjugem*.

Nunc demum ad aliquot alios *Legatos* accedam. *Legatus* quidam *extraordinarius* a *Principe* quodam *Italo* ad *Imperatorē* missus, non aliam ob rem, quàm, ut Ille Dominum suum *Serenitatis* Titulo dignaretur perinde ac, non ita pridem, alios Principes dignatus est; sed *Legatus* (haud dubiè impatiens moræ) ad *Dominum suum* redire decrevit, licèt Re infectâ, & manè se in viam dare; Et cùm jam esset *Imperatori* valedicturus; Cœlum est immutatum, & offuscatum nubibus, & cœperat etiam ventorū flatibus inhorrescere; nihilo tamen secius

ille

ille ab instituto suo non resiluit. Statim *Imperator* prodiens, illumque se ad iter accinctum conspicatus, mirabundus quæsivit ab eo quamobrem esset iter facturus alienissimo tempore, utpote caliginoso, obscuro, & pluviam interminante; quia, inquit, *Il ne faut pas craindre la Tempeste, puis que vostre Majestè à remply le monde de tant de serenite*, i. e. *Non est quòd tempestatem pertimescam, quum Majestas vestra tanta serenitate totum mundum impleverit.*

Don Pedro Andrea missus *Legatus* ad *Principem*, illum eò usque ad iram concitavit, ut ille minatus fuerit caput ejus præcidere; Respondit *Don Pedro*, inquiens, *Domine, Caput meum mortuum longè majus tibi detrimentum adferet, quàm hoc quod vivum est.*

Francisco Marco missus à *Genoa* ad *Galeazzo Mediolani Ducem*; cumque ejus Audientia de die in diem fuisset dilata, & *D. Joanis Mediolani* numinis tutelaris, Festo appetente, donavit *Ducem* vase *Basilico* impleto; cumque *Mediolanenses* hujus muneris causam ab eo quæsissent, retulit, *Genoenses* esse herbæ *Basilico* consimiles, quæ si molli manu contrectetur, *suavem exhalabit odorem*; sin confricetur, & pedibus proteratur, serpentes progenerat.

Samnites olim Dominatu & tyrannide *Romanorum* oppressi, & quasi pessundati, *Legatos* ad illos miserunt, ut cum illis agerent, qui in hæc verba loquuti sunt; Nobilissimi *Romani*, vos vires nostras fregistis, nobisque superiores evasistis; & hoc propter, si *Postulata* vestra sint æquiora, vobis æternùm dicto audientes esse volumus; sin durio-

ra justo nobis videantur, morem vobis geremus, tantisper dum occasio aliqua ab iis resiliendi se nobis obtulerit.

Nec ingenium illi defuit, qui (cum inter Ethnicos versaretur) stans in Trivio, in quo magnum erat idolum a prætereuntibus quibuscunque adorandum, annulum suum clanculum dejecit, & cum ad illum attollendum se deorsum flecteret, idolum istud coluisse putabatur.

Cùm *Lusitaniæ & Poloniæ Legati* in *Sigismundi Imperatoris Aula* versarentur, & identidem litigarent, uter eorum in primis consisteret; Cùm autem aliquando *Lusitanus* prior veniens, superiorem Cathedram occupâsset, *Polonus* illum inibi sedentem aggressus est, tanquam aliquid in aurem illi dicturus; *Lusitano* verò assurgente, & *Polono* caput suum propiùs acclinante, & exspectante quid sibi vellet, *Polonus* illico se in Cathedram conjecit, & in ea se continuit.

Huic *Paragrapho* unam duntaxat historiolam de *Legatis* ex *Perugia Romam* missis attexam, quorum alter quidem ingeniosus erat, alter verò non item; Utroque in cubiculum *Papæ* recepto, in quo tum morbo decubuit, eorum unus *sesquipedalem* orationem habuit, quam audivit *Papa*, non sine aliquot tamen & tædii & fastidii indiciis: alter autem qui adstiterat, sic *Papam* est affatus; *Sanctissime Pater*, hoc sibi vult nostra Delegatio, ut si *Beatitudo* vestra nolit subitò votis nostris annuere, & curare ut omnia fiant ex animi nostri sententia, collegæ meo incumbet orationem suam, modò habitam, reiterare, & paulò lentiùs recitare. Qui sermo Papæ risum in tantum com-

commovit, ut quam primum illos dimiserit, & ut omnia ex illorum voto fierent imperârit.

Paragraphus decimus & ultimus.

De singulari prudentia, magnanimitate, cautela, & Magnificentia multorum Anglorum qui Legationes objerunt.

NArrationem meam ab illo Herôe *Cardinali Wolsæo* (olim ex *Collegio Magdalenensi Oxonii*) libenter auspicabor, qui in *Galliam* missus *Legatus extraordinarius*, Famulitium numerosum eò secum traduxit, multosque nobiles habuit *in itinere* sibi consociatos (at *in munere Legationis* suæ prorsus nullos) *viz. Cutbertum Tunstallum* Episcopum *Londinensem*, Baronem *Sandysium* (nuper Regis Archicamerarium) Derbiæ Comitem; D. Thomam Moore; D. Henricum Guilford; & complures alios Equites, & Generosos non infimi ordinis, ut equitatus ejus constiterit ex viris mille & ducentis. Etenim post brevem a Dubri trajectum, tot habuit in comitatu suo cum *Caletum* egrederetur. *Franciscus* Rex Gallicus, ejus nominis primus, ipse, unà cum *Matre* sua, & plerique omnes istius Regni proceres, obviam illi venerant *Ambium* usque, ad quod *Parisiis* est iter bidui. Deportavit secum *Moneta Anglica*, Legalis illius, & bonæ, minas 140000; quæ summa

(in

(in illis præsertim temporibus) ingentior est, quàm ut credi possit (licet una argenti uncia tantùm viginti denarios illo ævo valeret) Magnam illam pecuniarum vim ideo secum deportandam curavit, ut *Gallico Regi*, & aliis cum eo fœderatis, subsidio esset in bello suscepto adversus *Carolum Quintum Imperatorem*. Hæc *Legatio* tanto cum splendore & magnificentia obita est, ut nulla historia similem, nedum parem commemoret. Præterea, *Commissio* ejus (quam vocant) *Plenipotentiaria* fuit, & tam ampla ut *Galliam* & *Papatum* suis legibus subjecerit.

Denique tanta fuit in illo naturalis ingenii dexteritas, & promptitudo ad res prudenter gerendas, ut omnes *Christiani orbis Principes* (qui oculos suos in illum defixerant) ad stuporem usque suspexerint.

Hoc primum exemplum excipit secundum *Domini Hieronymi Bowes*, nec minùs nobile (quantumvis sit alius generis) qui missus est *Legatus* ad *Basilidem Russiæ Imperatorem*, cujus *Tyrannis* erat in ore omni populo. *Dominus Hieronymus* sub primam ejus *Audientiam* variis contumeliis & injuriis appetitus est, & jussus deinceps suum aperire caput; quòd si recusaret, galerus quem gestabat in caput ejus clavis impingeretur. Ille nullo planè timore perculsus, stetit operto capite, inquiens, *Domina mea Angliæ Regina* nihil ejusmodi mihi in mandatis suis dedit. Perrexit *Tyrannus Reginam* elevare, & nihili facere, præ *Imperatore Germanico*, qui Coryphæus Principum habebatur: *Dominus Hieronymus* respondit, *Imperatorem Germanicum* (quo de Majestas

Tua

Tua loquitur) sub *Magnæ suæ Dominæ Reginæ Patre* stipendia fecisse; Quo intellecto, *Imperator* tantâ viri animositate ita consternatus est, ut brevi furoris æstus in illo resederit, seque tranquille pacatéque subduxerit. Postea vero *Dominum Hieron.* in itinere suo progressum usque ad portum non incelebrem *Angelum* appellatum, quidam ex *Imperatoris* satellitio, jussu Imperatoris, secuti, usque ad navem (quâ exceptus erat) pervenerant, illumque conventum voluere, quippe dicebant se attulisse ab *Imperatore Dona*, nempe *Pelles villosas*, sive *Pellicia*, magni pretii, pro *Regina*, & aliquot etiam pro ipso *Domino Hieronymo*: Cumq; illi in littore propiùs adstantes præ se desiderium ferrent ingrediendi navem, ille quasi æstro furoris percitus, respuit *munuscula ista Tyranni*, & nuncios, stricto gladio, ab ingressu repulit; & respondit (inquiens) *Domina mea Angliæ Regina, nihil opus habet felium vestrarum exuviis, nec ego, ac proinde reportetis licet.*

Cum *Legatis Burburgū* mittendis, ad agendū de *Pacis* Fœdere inter *Hispaniarum Regem* & *Hollandos* ineundo, *Dominum Doctorem Dalæum Regina* consociavit, cumque ad *Reginæ* manum deosculandam idem Doctor venisset, Dixit *Illa*, se de ejus multijuga literatura certiorem fuisse factam, illumque esse in *Jure Civili* versatissimum, & hoc propter eum ad hoc negotium se delegisse, & in salarium ejus, viginti solidos illi quotidie solvendos decrevisse, Ille *Majestati Regiæ* gratias egit quantas maximas potuit; dixit insuper, se velle *novendecim* illorum quotidie in Majestatis ejus honorem insumere; In quem autem impendes

solidum

solidum vicesimum, per se jam residuum? in *Uxorem* (inquit ille) meam *Katharinam*; Quod cum *Regina* audisset, stipendium ejus adauxit. Cum autem ad *Colloquendum* convenissent, quæstio suborta est, nempe, quâ linguâ in disquisitionibus suis uterentur; *Legatus Hispanicus* (ut nostris illuderet) *Gallicè*, inquit, agamus, etenim *Regina vestra* gloriatur se esse *Reginam Galliarum*; Minimè verò, inquit *Doctor Dalans*, quin potiùs agamus *Hebraicè*, nam *Dominus vester Hispaniarum Rex*, non dubitat appellare se regem *Hierosolymorum*.

Dominus Edvardus Herbertus Cherburiæ Comes (ut ad paulò recentiora exempla deveniamus) cùm *Legatus* esset in Gallia, inter illum & Ducem *Luynesium* Constabularium Regis Gallici & Privado simultas intercesserat, ob causam jam nunc dicendam. Dominus *Edvardus*, Mandatis ex Anglia privatim ad illum missis, excitus est ut Pacem pro Reformatis conciliaret, Quòd si renuerent, etiam minaciter loqueretur. Hinc sine ulla cunctatione ad exercitum contenderat, qui *St. Jean d' Angeli* arctâ obsidione cinxerat; quò cum venisset, *Regem* inibi præsentem convenit; & ab eo *Audientiam* postulat; *Rex* remittit, aut potiùs amandat illum ad *Luynesium*, ut quicquid dicendum haberet, cum illo communicaret. Ille ut erat à Rege monitus, ad hospitium *Luynesii* properat, & quod in animo volutabat, *Luynesio exprompsit*; at sequiorem illam partem de minis reticuit, tantisper dum ejus animum explorasset, sc. an hoc nuncium suum illi arrideret. *Luynesius* Generosum quendam *Reformatæ Religionis*

gionis (quem *Jesuitæ* ad hæresin suam propè jam illexerant) ponè peristromata occultaverat; qui cum esset auritus testis *colloquii* inter *Legatum Anglicum*, & *Luynesium* habiti, clariùs & fideliùs narrare posset, quantilla spes in *Regis Angliæ* subsidio & deprecatione, à *Reformatis* esset reponenda, & speranda.

Legatus & *Luynesius* postquam sermones aliquot commiscuissent, *Luynesius* usque adeo insolentiâ & typho correptus est, ut hæc insani verba exspuerit, Cur est *Dominus Tuus* de rebus nostris tam solicitus? Cur negotiis nostris se intermiscet? *Dominus Edvardus* respondens (inquit) Tu non is es cui a Rege meo actionum suarum sit reddenda ratio; me quod attinet, sat habeo si Illi obtemperem: Interea temporis, non dubitabo asserere, *Regem Dominum* meum multò justiùs facere quod ipsi volupe est, quàm tua interest rogitare & indagare causam quamobrem faciat. Nihilo tamen secius, si placidè agere velis, aliquid amplius tibi narraturus sum. Tum *Luynesius* corpus suum aliquantulùm proclinans, dixit, Esto. *Legatus* respondit; *Magnæ Britanniæ Rex*, non hanc solummodo occasionem arripit *Galliæ Regno* florentem statum exoptare, sed ob alias etiam quascunque occasiones, si quando seditionis turbæ & procellæ in hoc regno excitarentur, & hæc est ejus *prima ratio*. *Altera* sic se habet; quo tempore pax in *Gallia* stabilitur, *Majestas Galliæ* libentiùs, & commodiùs se *Palatino* adjutorem præbuerit, sc. ad *Germanicas* lites componendas. *Luynesius* respondit; Vestra nolumus consilia. Legatus respondens, inquit, in hac tua responsione

acqui-

acquiesco; hoc tamen mihi ægrè est, sc. *Regis Domini mei* benevolentiam non esse satis perspectam; & quoniam illa ita est insuper habita, temperare mihi non possum, quin dicam, *Regem Dominum* meum non ignorare quid illum agere deceat.

Cui *Luynesius*, nos potentiam vestram non extimescimus; *Legatus* paululùm subridens, respondit, *Si dixisses nos à vobis non amari, tibi credidissem, & responsionem aliam tibi adornâssem*; intereà verò, nihil amplius dicendum habeo præter hoc unum, scilicet, nos probè nôsse quid agendum sit. Tum *Luynesius* paululùm erigens se à Cathedra in qua consederat, & cùm esset vultu torvo & turbido, os suum spumosum & fumidum in hæc verba laxavit; Dejero, si non esses *Monsieur Legatus*, sat scio quibus te tractarem modis. *Legatus* etiam se à Cathedra sua levans, dixit, ut non diffiteor me esse *Majestatis Magnæ Brittanniæ* Legatum, ita quicunque mihi injuriam fecerit, experietur etiam me *Generosum*, & hoc, inquam, gladio (cui tunc temporis manum injecerat) me par pari relaturum. Ad hæc verba *Luynesius* planè obmutuit; & *Legatus*, ad limen versus tendere cœperat, & *Luynesio*, illum eò duducere molienti, porrò dixit, post istiusmodi sermones non opus esse tantâ comitate, atque ita discessit, nuncium aliquod ab eo indidem exspectans. Quoniam verò nullum à *Luynesio* nuncium est intra multos dies allatum, *Legatus Mandatorum* Regis sui memor, ad *St. Jean d' Angely* ad deditionem jam coactum properavit, & Audientiam à *Rege*, *Cogniacæ* tunc temporis agente, postulavit.

Et factus illicò à *Rege* compos voti, *Regem* pro *Reformatis* pacem rogavit, iisdemque planè argumentis, quibus apud *Luynesium*, usus, *Regem Luynesio* longè mitiorem & humaniorem expertus est. Postillà, *Mariscallus*, sive Tribunus *Divi Gerani*, *Edvardum Herbertum* intervisens, familiariter illum & amicè monuit, hisce verbis; *Constabulario* bilem commovisti, ac proinde non versaris hìc in tuto: respondit *Herbertus* esse se ubique satis in tuto, modò esset accinctus gladio. Hæc *Domini Edvardi Herberti* magnanimitas & fiducia ita *Luynesium* perculit, ut brevi postea *Cadenetum* fratrem suum *Ducem Chaunensem*, suasionibus adduxerit, ut *Legationem extraordinariam* in *Angliam* susciperet. Id quod fecit, centum sc. gladiatorum satellitio stipatus, quorum singuli singulos homines trucidâssent (uti *Jacobo Regi Cadenetus* ostentavit) Hic autem *Cadenetus* sermones inter *Herbertum* & *Luynesium* ultro citróque habitos, malâ fide, falsò, & perperam enarrans, in tantum effecit, ut *Dominus Edvardus Herbertus* fuerit ex *Gallia* statim accersitus, ut ad ea quæ sibi objicerentur responderet. Interea temporis, *Carlilia Comes* ex *Anglia* missus est in *Galliam Legatus extraordinarius*, ad præcavenda inimica molimina, & inimicitias, quæ inter duo Regna oriri possent. Idem *Comes* jussus est rei antememoratæ veritatem, siqua posset, expiscari; sed ille nihil aliud exsculpere potuit præter narrationem illam quam ipsi *Luynesio* comminisci placuit: In qua multò plures contumeliæ, & magnifica verba fastu turgida Domino *Edvardo Herberto* affingebantur, quam unquam reapse *prolata sunt*.

Licèt

Licèt enim prima digladiationis & Litigii scintilla orta fuerit à *Luynesio*, *Legatus* tamen nihil patravit, vel a mandatis suis alienum, vel se indignum; sed virtute sua se involvens, & *Regi* morigeratus, existimationem suam magnanimiter tutatus est. Cùm autem *Carliliæ Comes* missurus erat illam *Luynesii fabulam*, in *Angliam*, ab eo confictam, *Generosus* ille suprà memoratus, quem inter peristromata sive Aulæa & parietem *Luynesius* occultaverat, *Carliliæ Comitem* suapte sponte convenit, & dixit se esse usqueadeo veritati & veracitati obstrictum, ut non potuerit non ab utraque stare, & *Herbertum Heroem* ab omni imprudentia & pusillanimitate vindicare; quo etiam tempore, rem totam (quam superiùs attigimus) (nullâ prætermissâ circumstantiâ) prout gesta est, narravit. *Carliliæ Comes* verâ totius rei historiâ fortuitò nactus, etiam *Jacobum Regem* de eâdem certiorem fecit, qui *D. Edvardum Herbertum*, ab hoc confícto & intentato crimine exemit; & decrevit insuper, illum in *Galliam Legatum* remittere. *Dominus Herbertus* postea de *Regis* consilio certior factus, *Regem* adit, & flexis genibus ad pedes ejus se provolvit (adstante Duce Buckingamiæ) & humillimè ab eo petiit, ut (quoniam hoc negotium ad aures utriusq; Regni pervenisset) *Luynesius* ad hanc confitendam injuriam publicitùs adigeretur.

Quem in finem, Majestatem ejus etiam atque etiam oravit, ut vel per *Buccinatorem*, vel per *Fecialem* à *Monsieur* Luynesio significaretur, quòd de rebus præfatis, narrationem à veritate alienissimam fabricâsset; eamque ob causam, *Dominum*

Edvardum Herbertum velle *Luynesium* meritò mucrone gladii adoriri. *Jacobus Rex* pollicitus est se velle postulatum ejus in animo suo seriò ponderare; Sed *Luynesius* paucis pòst diebus commigravit ad plures, & *Dominus Edvardus Herbertus Legatus* in *Galliam* non ita multò pòst remissus est.

Porrò, *Joanni nupero Bristollii Comiti*, cum *Alguazillis*, & etiam cum ipso *Alcalde* sive Justiciario, & cum officiariis permultis non una digladiatio intercessit, nimirum in hunc solum finem, ut *ædium suarum privilegia* intemerata conservaret, & ut suis essent in *Asylum*: Quæ res gesta est non citra magnam & singularem magnanimitatem & prudentiam.

Unum autem erat memoratu dignissimum de *Scioppio*, qui petulantissimo libro divulgato *Jacobum Regem* infamâsset. Hic impuri oris rabula commorabatur in *Flandria*, quæ est sub *Archiducis* ditione, ad quem *Dominus Joannes Bennettus* missus est ex *Anglia*, nempe, ut jussu Archiducis, perditissimus homuncio sceleratissimi convicii in optimum *Regem* conjecti, meritam pœnam dependeret. Ille verò flagitii sui conscius, & justam pœnam capiti suo impendentem reformidans, dicto citiùs se in pedes conjecit, & *Madritum* convolavit.

Et cùm propè nulla rabidum hunce calumniatorem coercendi spes *Comiti* (*Madriti* agenti) superesse videretur (illìc præsertim ubi *Jesuitæ tam insolenter imperitant*) hoc lictoris negotium *Domino Georgio Digbio* cognato suo, viro forti & intrepido, cui circum pectus erat æs triplex, dederat. Ille,

hâc

hâc provinciâ libentissimè susceptâ, rogat ubi sit iste, quis & qualis sit iste tenebrio; eoq; tandem invento, *Digbius* opportunitatē nactus, non clanculum, sed aperto Cœlo in illum involat, & sicâ latrantis scurræ fauces alto sed transverso vulnere concidit; cujus cicatricem, tanquam mulctæ ipsi irrogatæ, signum, secum ad inferos deportavit.


Idem *Comes* missus *Legatus* ad *Imperatorem* (quo tempore *Germania* omnis bello flagraverat, & passim ubique fere gentium *Enyo* desævierat) ut *Palatinatui* alicunde succurreretur) & remigrans, iter fecit per *Heidelbergæ* confinia, aut saltem istius loci, in quo *Comitis Mansfeldiæ* Copiæ (quarum in fide & auxilio tota propemodum *Palsgravii* incolumitas steterat) Castrametatæ sunt. Quæ cùm statuissent omnes ob stipendii defectum dilabi, & militiam subterfugere, idem, inquam, *Bristollii Comes*, ut conficeret pecuniam ad hasce copias sistendas, totum suum argentum Cœlatum oppigneravit, alioquin (eâ tempestate) omnia illarum prævia molimina, & labores priùs exantlati, in nihilum recidissent.

Huic nobilissimo facinori consimile fuit illud *Comitis Leicestriæ* (& etiam citra mandatum Regium) quod jam tum instituerat, cum esset ad *Daniæ regem* missus *Legatus*. Cum enim *Rex* ille dotem illam *Dominæ Elizabethæ* debitam, solvere detrectaret (quæ ex *Bonis Aviæ* suæ *Reginæ Sophiæ* conficienda fuit) (cujus summa jam fere ad libras 150000 excreverat) (quam pecuniam recipere penes *Comitem* erat) hujusque solutionem tam diu distulit, propterea quòd rationes aliquot essent luculentiùs subducendæ, quæ inter ipsum

ipsum *Regem*, & Nepotem suum *Magnæ Britanniæ Regem* intercesserant, Præfatus *Comes* (modò præcommemoratam dotem reciperet, in solatium *Dominæ Elizabethæ* jam nunc afflictissimæ) ultro pollicitus est oppignerare omnes suas *fortunas*, & *Honorem*, & omnia quæcunque haberet usquam in *Anglia*; (quæ Majestatem ejus omnino latere non possunt) & spopondit etiam hanc dotis solutionem a *Rege* præstitam, rationibus inter *Regem Avunculum*, & *Regem Nepotem*, intercedentibus, nullo prorsus impedimento futuram. Hæc *Legati* voluntas, & hæc ejus honorifica simul & magnifica ad benefaciendum *Dominæ Elizabethæ* promptitudo, tum à *Rege*, tum ab omni *Aula Danica* mirificè collaudata est.'

Idem *Comes* postea complures annos *Legationem* obiens in *Gallia*, *Cardinali Richlieu* neutiquam locum cessit. *Hugonem Grotium* quod attinet, cum is esset solummodo *Legatus Suecorum*, tamen id egit, ut *Rhedæ* suæ illas Comitis præcederent; at (ut Lepidè loquuntur *Galli*) retroactus est, *Avec un pied de nez*, i. e. *Nasum habens pedem longum*; qua de re uberiùs disseruimus in Paragrapho Magnæ Britanniæ ultimo.

FINIS.



Ad Lectorem.

SCiat Lector, ſingulas hujuſce Libri paginas, eſſe tot rebus notatu digniſſimis refertas, ut ſi illæ omnes in Indicem rejicerentur, hauddubiè in molem excreſceret ipſius Operis æmulam; & hac ratione Poſticum eſſet ædificio ἀσύμμετρον.

